MASTER NEGATIVE
NO. 93-81331-7

AUTHOR:

KRAEMER, AUGUST

TITLE:

DE MANILII QUI FERTUR ASTRONOMICIS...

PLACE:

MARPURGI CATTORUM

DATE:

1890

Master Negative #

93-81331-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kraemer, August, 1866-
De Manilii qvi fertvr astronomicis; inest de imperatoribvs Romanis in sidervm nvmervm relatis dispvtatio. Dissertatio inavgvralis qvam... scripsit Avgvstvs Kraemer... Marbvrgi Cattorvm, 1890.
71 p. 22½ cm.

Thesis, Marburg.

171191

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/27/93 INITIALS: Tue
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

DE MANILII QVI FERTVR ASTRONOMICIS

INEST DE IMPERATORIBVS ROMANIS IN SIDERVM NVMERVM RELATIS DISPVTATIO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARBVRGIENSIVM ORDINE
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

AVGVSTVS KRAEMER
WILINABVRGIENSIS

MARBVRGI CATTORVM
MDCCCXC

PARENTIBUS ATQUE BIRTIO

PIETATIS ERGO

Artis astrologorum, qui mira quadam apud Romanos auctoritate usi sunt, clarissimum nobis servatum est monumentum, astronomicon dico libros V, qui sub Manilii nomine circumferuntur. Hi quo fere tempore conscripti sint, cum nondum satis constare videatur, ego hac dissertatione si ad discernendam illam quaestionem pauca attulero, operam me non perdidisse credam. Ut autem cognoscas, quantopere fluctuent sententiae eorum virorum, qui hanc tam arduam rem aggressi sunt, omnes in uno conspectu ponere fortasse proderit.[1]) Atque ut eos praeteream, qui Theodosiana aetate floruisse astronomicon auc-

1) Praesto mihi erant haece Manilii editiones:

1. Julii Firmici Materni editio Basileensis anno 1533 nata, cui Manilii quoque astronomicon libri V insunt.
2. M. Manilii astronomicon cum Jos. Scaligeri auctioribus curis edente Jo. Henr. Boeclero impensis Jo. Joachimi Bockenhofferi Argentorati 1655; et Jos. Scaligeri, Jul. Caes. f., castigationes et notae in M. Manilii astronomicon, ab ipso auctore recognitae luculentisque accessionibus plurimum locupletae.
3. M. Manilii astronomicon ex rec. et cum notis Richardi Bentleii Londini 1739.
4. M. Man. astron. ex rec. R. Bentleii cura et studio M. Eliae Stoeberi. Argentorati 1767.
5. M. Man. astron. edente Al. C. Pingré. Parisiis 1786 (Gallicam versionem continens).
6. Joseph Merkel des M. Manilius Himmelskugel lat. und deutsch (B. I.) Aschaffenburg 1844. Alteram huius libelli editionem ut mihi compararem fieri non potuit.
7. M. Man. astronomicon libri quinque rec. Frid. Jacob, Berolini 1846, cuius numeros in citandis poetae versibus secutus sum. Dolendum est, quod M. Bechert is, qui de emendandi Manilii ratione (Lipsiae 1878, eademque in Leipz. Studien zur klass. Phil. I Heft 2, Lpz. 1878 p. 1—63) scripsit, novam quam pollicitus est (cf. Bursian Jahresb. Bd. 20. 1880. p. 274) editionem nondum comparavit, quae omnium votis sitienter expetitur. Francogallicam autem versionem nuper factam adipisci nequivi: L. Ricouart les cinq livres des astronomiques de Marcus Manilius. Traduction en vers. Paris, Picard. 1884 (cf. Bursian Jahresb. t. 37. Anzeigeblatt).

torem dixerunt, Scaliger et Bentleius et Pingreus[1]) Augusto principe totum carmen, quod exstat, scriptum esse censuerunt. Bentleium autem in eis, quae de substantivorum in *ius* et *ium* desinentium, quibus utitur Manilius, genetivi forma iudicavit, ab errore minime munitum fuisse neque de aetate poetae illinc quidquam concludi posse, id omnium nunc uno consensu putatur.[2]) Is quoque, qui de Bentleii vita scripsit, R. C. Jebb[3]) deesse dixit causas, cur suo quis iure negaret omnes astronomicon libros inter annum nonum et quartum decimum vel compositos vel redactos esse in eam formam, quam nos habemus. Sed Jacobus quattuor priores libros Augusti aetati addixit, quintum sub Tiberio compositum neque absolutum esse ratus est.[4]) Idem placuit Merkelio. Ac similiter anno 1881 Woltjer[5]) Manilium Augusti regno exeunte (et Tiberii ineunte fortasse) floruisse statuit. — Has opiniones primus Lachmannus[6]) in dubium vocavit atque omnes libros astronomicon post Octaviani mortem confectos esse proposuit, cui sententiae, quam etiam Bernhardy in hist. litt. Rom. quintae editionis (a. 1872) p. 552 sequitur, novis argumentis fidem facere dissertatione supra citata conatus est Bertholdus Freier, qua et sibi et ei, qui in Bursiani annalium tomi 22. p. 172 sq. eam indicavit, in probabilitatis speciem redegisse videtur compositum esse librum I sive Romae sive in Illyria a. U. C. 770 fortasse exeunte, II maiore ex parte et III per a. 771 in Asia,

1) l. l. introduction p. VII: Manilius écrivait sous Auguste; c'est une vérité qui n'est plus révoquée en doute.

2) Praeter Neuii clarissimum librum cf. de hac re:

Fr. Jacob de M. Manilio poeta. progr. Lubec. 1832. p. 10.

B. Freier de M. Manilii quae feruntur astronomicon aetate. Gottingae 1880. p. 44 et 45.

Ad. Cramer de Manilii qui dicitur elocutione. Argentorati 1882. p. 5. not. 1.

J. Woltjer de Manilio poeta. progr. Groning. 1881. p. 25.

3) R. C. Jebb Richard Bentley, eine Biographie, übersetzt von E. Wöhler, Berlin 1885, S. 139.

4) in suae edit. praef.; idem progr. Lubec. 1835 p. 29 librum IV post Augusti mortem scriptum esse putaverat.

5) l. l. pp. 20—25.

6) op. min. I 42—44.

IV circa initium a. 772 ibidem, V non ante annum 775 sive haud ita multo post. Et rationibus suis, quamquam non graves eas esse iam anno 1881 vidit Malvinus Bechert (phil. Anz. XI p. 617), vel Schwabeum, Teuffelii hist. litt. Rom. editorem, usque eo ad suam partem videtur traxisse, ut, cum p. 540 quartae editionis Augusto vivo astronomica incohata et vel IV librum ad umbilicum adductum esse, V autem Tiberio demum principe ortum esse affirmet, sibi ipse non constans in p. 97 astrologiam a Manilio carmine sub Tiberio doctam esse dicat.[1]) Contra Freierum, quantum video, a nullo adhuc disputatum est nisi a G. Lanson,[2]) cui opus illud, de quo agimus, ita scriptum videtur esse, ut post Vari cladem ante editas ex Ponto epistulas Ovidii, octavum inter et tertium decimum annum, primus et secundus et tertius libri sint conditi; quartus vero post Ponticas epistulas ante Augusti obitum additus sit, sed quintus vel cum quarto vel posterius Tiberio iam regnante subici potuerit (p. 26). Aliam denique de astronomicon aetate coniecturam A. Cartault in actis illis, quae audiunt revue critique (num. 15. a. 1888), cum Lansonis opusculum sub censum vocaret, publici iuris fecit. Qui primum, alterum, tertium libros ante Augustum mortuum, sed quartum et quintum postea scriptos esse vult: totum autem opus a poeta potito rerum Tiberio editum eosque locos, quibus imperatorem Augustum laudasset, aliquanto mutatos esse.

Has igitur sententias, quas anonymi — quem tamen, ne longus sim, Manilium appellare liceat — aetatem exploraturi in medium tulere vv. dd., nos sine ira et studio examinabimus.

Duas autem esse rationes mihi persuasi, quibus quod volumus indagare possimus. Nam et in ipsis astronomicis non desunt quasi ansae quaedam ad statuendum, quo fere tempore

1) In quinta, quae nuperrime in publicam lucem prodiit, editione p. 582 et 583 etiam magis quam antea Freieri sententiae indulsisse videtur Schwabeus.

2) de Manilio poeta eiusque ingenio, Lutetiae Parisiorum 1887. Hanc commentationem, cum iamdudum in seminario philologo Marburgiensi Birtio patrono meam argumentationem Freiero opposuissem, mihi comparare potui, id quod hic mihi dicendum est, quia simili nonnunquam modo contra illum pugnavimus.

orta sint, idoneae, et ex ratione, quae inter nostrum ceterosque Augusteae aetatis poetas intercedit, nonnihil fructus percipi poterit: praecipue ea, quae Manilio cum Ovidio et Caesare Germanico, quem dicimus Arateum, communia sunt,[1] magno possunt esse pretio. Sed quoniam, cum duos abhinc annos Birtius, cuius quanta in me sint merita vix valeo dicere, mihi instituendam proposuisset inquisitionem in Manilii imitationem Ovidianam itemque in similitudines, quas Germanicus Arateus exhibere videretur, locis imitatoriis diligenter conquisitis ad eandem fere atque Cramer (p. 4 not. 2) conclusionem perveni, ut, si quis quattuor priores astronomicon libros contendat post annum p. Chr. n. 9 et ante Augusti mortem conscriptos esse, is non refellatur eis imitationibus, quas ex carminibus ab Ovidio Tomos relegato in exsilio conditis deprompsisse alicui poeta videatur, de imitationibus, quas omnes fere, quae quidem gravioris momenti sint, iam protulit Cramer, accuratius hoc loco agere nolui. At maximopere miratus, quod ille, quamquam de locis Manilianis ex Ovidii libris petitis isto modo iudicavit, tamen poetam Tiberio quam Augusto imperante carmen composuisse verisimilius esse dixit, et ita hanc rem explicandam esse ratus, ut de ipsorum astronomicon nonnullis locis, qui Tiberianam aetatem indicare videbantur, in Freieri disputatione illum acquievisse censerem, eos Manilii locos hic pertractare mihi proposui, unde poetae aetati lucis aliquid affusum iri sperarem.

Atque primum quidem ad leviora quaedam animos advertamus: videamus enim, si placet, in enarrandis rebus gestis vel in commemorandis hominibus quem ad terminum poeta progrediatur.

Non ego quidem arcessi iubeam libri III v. 23 et insequentes, ubi, ut in unius populi leges orbis terrarum cesserit,

[1] Oculis sane quam unctis rem egit Woltjer l. l. p. 52 cum dicit excepto uno Lucretio e Romanorum scriptis pauca admodum nec certa in suum usum vertisse videri Manilium. Contra in propatulo est eum priores Romanorum poetas, Lucretium, Vergilium, Ovidium, Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium legisse et hac ratione suum ipsius genus et loquendi et versus pangendi excoluisse (cf. Cramer l. l. p. 55 sq.)

commemoratum videmus, neque, etsi plus inde emolumenti percipi poterit, l. IV v. 23 ceterosque, quibus temporis ratione habita Romanorum fortissimi viri afferuntur, qui ut urbi Romae summae utilitati essent, fatis factum audimus: fatis enim orbem regi quoniam demonstrare sibi proposuit hoc loco, exorsus inde ab eversis Troiae moenibus ac Romae casis enatae origine ad clarissimos homines poeta transit, qui reipublicae liberae aetate suis egregie profuerant, pugnas ac bella cum gloria gesta commemorat, perstringit discordias civiles, alloquitur Magnum Pompeium, affert postremo huius domitorem victoremque C. Iulium Caesarem his verbis usus (IV 57 sq.):

Ille etiam caelo genitus caeloque receptus
Cum bene compositis victor civilibus armis
Jura togae regeret, totiens praedicta cavere
Vulnera non potuit toto spectante senatu
Indicium dextra retinens nomenque cruore
Delevit proprio, possent ut vincere fata.

Unde usque ad Octaviani tempora poetam descendisse patet. — Inspicias velim l. I v. 750 sq., quibus de orbe quem dicunt lacteo agitur eique enarrantur viri, quorum animae corpore egressae illuc migraverint. Poeta postquam priscos illos homines protulit eorumque hunc illum, qui inter Graecos seu pacis seu belli artibus excellentes exstiterant, de Romanis loquitur: affert autem reges atque serie temporum si non accuratissime, attamen in universum servata qui post hos reipublicae bene consuluerint eamque triumphis ornaverint: Camillos, Marcellos, alios; affert Metellos, Catonem, fortunae victorem, affert Agrippam, affert denique prolem Iuliam, quae caelo descenderit caelumque repleverit: quod regere Augustum. Huius vero nomine enarrandi finem facit nec deinde longius procedit.

Simile aliquid in alia eiusdem libri parte observari potest. Temporum enim ordines in rerum descriptione etiam a v. 906 usque ad v. 926 servati sunt. Tangit Manilius bella civilia: mentio fit pugnae Philippensis (v. 909) et Pharsalicae (v. 913) neque omittitur bellum Actiacum (v. 914) aut id quod gessit Sextus Pompeius (v. 920): deducitur denique narratio usque ad Augusti aetatem neque hic finis transitur, sed optat in fine

poeta, ut iam bella — imprimis autem civilia intellegenda sunt — quiescant atque

adamanteis discordia vincta catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clausa!

Ac ne parum diligenter huius, de qua commemoro, partis structuram praetereas, sed sollerti cura omnia circumspicias: iam enim videbis ita loqui poetam, ut praeter eas res, quas descripsit, nihil, quod quidem gravius esset, postea cecidisse a legentibus intellegi velit. Dicit ille post Philippense proelium nondum siluisse armorum strepitum; nam restabant Actia bella; sed ne his quidem bene compositis renata erat pax, verum restabat Octaviano bellum illud cum Pompeio gerendum. Atque hoc quidem fuit postremum: hoc satis fatis fuerit; iam enim quiescant bella! Nescio, num mecum idem sentias. Etenim ego proviso nec sine aliquo poetae consilio per anaphoram puto bis positum esse illud *restabant* (914 et 919) nec temere extemplo subsequi particulam *iam*, qua ad id, quod bella civilia secutum est, tempus trahimur:[1]) hanc pacem et indicare et laudare Manilio in animo est. Igitur quos ad fines hic processerit, memoria continere velis.

Neque omnino toto primo libro quidquam videtur commemorari, quin vivo Augusto iam acciderit. Postrema autem res, cuius in mentionem incidit poeta, est clades, quam Varus a. p. Chr. n. 9[2]) in saltu Teutoburgiensi accepit. Quae Jacobo iudice ita inducitur, ut iam aliquid temporis effluxisse videatur, in recenti tamen poetae memoria fuisse debeat, cum infesta quaedam eius omina significet, quibus declinari potuerit (praef. p. XVI). Itaque liber primus post a. 9 debet scriptus (aut editus) esse: quanto vero spatio post scriptus sit quaerentibus aliquod saltem adiumentum v. 898 afferri videtur, in quo exstat particula *modo*. Quem ad locum adnotat Scaliger: *manifesto indicat eam cladem non multo antea contigisse, recenti etiam tum eius memoria. Accidit vero quinquennio ante Augusti*

[1]) De particulae iam significatu vid. Handii Tursellin. s. v. iam. num. 7 et 20 (vol. III p. 115 et 125) Lps. 1836.

[2]) De hoc anno constare mihi persuasum est, cf. Jahresbericht der Gesch. für 1878 p. 107 ff. et Mommsen r. G. V 43. Anm.

excessum ex quibus colligere licet tempus quo haec scripta sunt. Ita quidem Scaliger. At nunc maxime tantum non omnes particulae illius aliam hic volunt esse vim. Iam enim Bentleium ita rem accepisse video, ut oppositionem indicari opinaretur hanc: modo per gentes externas, modo domi civiles motus et cognata bella (v. 904) cometis nuntiari. Sed falso haec significatio particulae hoc loco ascribitur. Offendor enim eximie miro illo anacolutho, quod statuant illi necesse est: *modo-etiam*. Quam inter has voces responsionem et ipse quamvis scrutatus nusquam inveni alibi neque habet Tursellinus. Nec mihi obiciat quisquam non ita multo ante (v. 835 et v. 838) *modo* et *nunc* consimili modo usurpari: nam quoniam *nunc* quoque habet vim temporalem, hic est pervulgatus usus, ut, exempla si petes, ex Ov. Met. sescentis locis cognoscas, cf. III, 77 (*modo - interdum - nunc*) et VIII, 290, 506 IX, 766 etc. (*modo - nunc*). Propertii vero exemplo quodam (I 1, 11 sq.) ne contra me suscitetur suspicio, non timeo. De hoc loco non concinunt vv. dd. voces neque mihi, quia distat a proposito, multis licet defungi: certe non vera est ibi inter *modo etiam*que responsio, qua de re conferas A. E. Housman emendationes Propertianae in the journal of philology edited by Wright, Bywater and Jackson (London and Cambridge 1887), vol. XVI n. 31 p. 19—22.[1])

Itaque apud Manilium ad *etiam* particulam, quae paullo infra est, vocem *modo* in v. 898 pertinere nego, quae mea sententia eo potius, quo saepissime invenitur, sensu posita est, ut id, quod paullo ante vel nuperrime factum est, significet, atque iniuria Jacobus (praef. p. XVI) ad hunc locum spectans per *tum cum* non quae proxime acciderint describi dicit. Quid ita? Nihil nisi *cum* scriptum est, pro qua quae alia adhiberi debuerit copula, doleo quod non is sum, qui perspiciam. Eadem ratione particulae *modo* additur coniunctio *cum,*

[1]) Vel si revera hoc loco inter se modo - et - etiam responderent, eo tamen a Manilii loco Propertianus differret, quod statim particulae sese excipiunt, ut qui legit nullo negotio diversas sententias inter se opponi sentire posset (ut etiam Prop. I 3, 41 modo-rursus), sed apud Manilium longum interpositum est intervallum.

quae tempus significat in Plaut. As. V, 2, 77 *modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram?* Praestat autem aut rectius ut dicam necesse est lineolam illam (— vel;), qua in v. 898 pone *gentes* verba distinguunt, deleri artissimeque omnia inter se conecti, id quod etiam in Basileensi editione factum esse video. Ceterum lectionem *externas*, quamvis ex optimis, ut videtur, libris haustam, eis ipsis deberi qui *modo* falsa ea ratione acceperint, quam explicavi, proclive propemodum est ad credendum. Utique si *extremas* legemus, [1]) non mala erit sententia haec: ut modo per extremas gentes, cum Varum Germania rapuit, toto mundo lumina minitantia arserunt . . . . . Varus autem ipsi naturae caeloque mala minantibus credere nesciens sua culpa occubuit gravibus neglegentiae poenis datis (cf. Suet. Tib. c. 18). Quam lectionem et interpretationem si cui adsciscere libebit, non cum Stoebero de extremo bello, quod Romani, antequam haec scripsit auctor, gesserint, accipienda erit, sed locum indicari duco necessarium. Quamquam qualemcumque versum 898 scribere praeferas, illud *modo* una ratione, si quid sentiam, explicandum est. Scribae quidem eorum codicum, per quos *extremas* traditur, versus 898 adverbium temporale non cum insequenti *etiam* contulerunt, verum eandem quam habet *nuper* notionem ei subiecerunt. Non dissimulare autem licet tanto ad tempus definiendum usu non esse particulam *modo,* quanto primum spectanti videri possit; nam exstant etiam in Latinorum libris loci, ubi *modo* de tempore aliquanto remotiore intellegendum sit, de qua re ne longius abeam videas Handii Tursell. vol. III p. 645 num. 4. Sed tamen hos esse rariores ne obliviscamur atque plerumque, ut dixi, ad proximum tempus per *modo* regredi assolitos esse scriptores. Itaque certius duco vulgatum quam exquisitiorem usum sequi.

Per haec iam ad graviora perventum est. Nunc enim ad singulos locos, qui imprimis in prooemiis clausulisque librorum exstant, nos convertamus, unde lucis aliquid ad quaestionem nostram diiudicandam redundare possit. Qua in re cum Freiero,

---

1) cf. per extremas gentes Prop. I, 1, 29.

qui ad Tiberium astronomicon patroni honorem defert, non semel dissentiam.

Evolvamus primum primi libri initii v. 7 sq.: quos quisquis legerit, haud dubie Octavianum innui putabit, atque quodammodo his illum laudari potuisse ne Freier quidem infitiatur: attamen poetam alloqui Tiberium hic contendit. Quae res primo quidem oculorum obtutu eam potissimum ob causam minime facilis est ad disceptandum, quod nec ex ipso *Caesaris* nomine quidquam licet concludas satis certi et explorati neque ex *Augusti* verbo, quod saepius nobis occurrit in astronomicis. Id tamen premam atque urgeam ac te mihi facile in hac re assensurum confido, si uno loco pluribusve vocabulis istis *Augusti* et *Caesaris* [1]) aliquem unum ac certum significatum constat, etiam ceteris locis idem intellegatur necesse esse. Atqui nihil relinquitur dubitationis, quin duobus locis *Augusti* voce C. Iulium Caesarem Octavianum Augustum Manilius significet. Quorum priore agitur de pugna in Philippeis campis commissa (I, 913 sq.) ac praeteriens quasi pugnae Pharsalicae poeta mentionem facit. Legimus ibi: *perque patris pater Augustus vestigia vicit.* Vicisse apud Philippos Augustum per patris vestigia poeta dicere potuit, et quia — ni nimis anxius sis in circumscribendis huius terrae finibus — in eadem fere Graeciae septentrionalis regione C. Iulius Caesar cum Pompeio confixerat, [2]) et quia Caesaris vestigiis instans partes eius in sese susceperat Octavianus.

Neque minus dubio procul, quem poeta appellarit *Augustum,* est altero loco (II 509), quo describuntur signa videntia, audientia, amantia, hostilia, ac legimus haec:

Contra Capricornus in ipsum
Convertit visus — quid enim mirabitur ille
Maius, in Augusti felix cum fulserit ortum?

---

1) Haec autem duo vocabula Caesaris et Augusti promiscue Manilius adhibet aliorum poetarum exempla secutus. Horatius quidem, ut Octavianum significet, in epist. I 13, 2 Augusti et in eadem (v. 18) Caesaris voce utitur, sicut metrica ratio postulat, cf. Horat. epist. I 16, 19 et II 3, 2 et 7 (Augustus); epist. I 5, 9, II 1, 4 (Caesar); epist. II 2, 48 (Caesar Augustus).

2) Promiscue Lucanus quoque dicit Philippos et Pharsalum.

Hic nemo nisi Octavianus nominari potuit Augustus, quem sub Capricorno natum Romanos credidisse ex Suetonii (Oct. 94) disertis verbis compertum habemus; nec vero hoc fuit Tiberii signum, ut certi fontis auctoritate carens contendit Jacobus p. 57 in nota ad. v. l. II, 290.[1]) Quod si cui ex hoc ipso versu consequi placebit dicenti per Augusti vocem Tiberium posse intellegi, ei oblocutus Tiberium hoc uno puro vocabulo a scriptoribus significatum esse nego nullo addito epitheto, quo, uter intellegeretur, Octavianus an Tiberius, appareret.[2]) Caesar autem cum in l. IV v. 766 nemo nisi Octavianus esse possit, id quod infra (p. 24 sq.) patebit, ceteris locis, ubi illa vox occurrerit, eundem intellegemus. Nam plenus sane obscuritatis esset poeta, si et Octavianum et Tiberium nullo praeterea nomine apposito appellaret Caesarem vel Augustum, neque eo adduci possum, id ut verisimile esse putem. Contra semper unus intellegendus erit Octavianus. Nemo vero in Freieri sententiam transibit, qui plerumque, cum Caesaris nomen occurrit, Tiberium, in versu autem 776 Germanicum intellegit. Adde quod, si Tiberius patronus poetae fuisset, vix cur nihil fere in eius laudem[3]) attulisset, intellegeremus, cum non dubie compluribus locis laudet Augustum, cuius, ut de ceteris hic nihil dicam, in ipso hoc, quem tractavimus, versu (II 509) non minima laus subest. — Ab his igitur locis, quippe qui tam clari et perspicui sint, ut lucem eis afferre supervacaneum sit, putavi proficiscendum esse, tum demum ad obscuriores partes ascendendum.

Ut autem revertar ad versus primi libri septimum ac sequentes, mirandum sane esset, si quamquam cognomen *patris patriae* a Tiberio recusatum esse e Suetonii libro (Tib. c. 26) luce clarius est, tamen vates in principis allocutione hoc cognomine usus esset. Quod si levioris momenti esse obiciatur,

[1]) cf. Freieri diss. p. 14, 28, 33: contra quem versus IV 533—565 ad Tiberii sortem depingendam aptissimos esse ratum bene disputat Lanson p. 13, qui in his versibus Tiberii thema non agnoscit, quia nihil, quo proprie ille designetur, eis insit.

[2]) sed per Augusti vocem Octavianus significatur cf. e. g. Tac. a. 6, 51 et Horat. mult. loc.

[3]) praeter v. IV, 765; cf. p. huius diss. 25.

non impugno: attamen non prorsus neglegendum. Magna quoque mihi surgit dubitatio, utrum Germanicus Arateus qui dicitur temere casuque hanc appellationem evitaverit, an illud cognomentum Tiberio iniucundum esse haud ignorans certo consilio in carminis sui prooemio *rectorque satorque* (phaenom. v. 4) scripserit. Adiectivum autem *Augusti* ne nimis premam caveo, et quia qui Octaviano, cuius proprium hoc epitheton fuit, imperatores succedebant, eodem honorabantur, et quia nihil nisi sacri inviolatique notio ei inesse potest atque ut aram vel templum, ita legem quoque augustam appellari potuisse veri non est dissimile. Freiero quidem augustae leges nullo iam pacto probarentur (cf. p. 11), si ad Octavianum pertinerent. Qui eam adiectivi formam, quae est *augustus,* derivandum putat a nomine Augusti, ut *Augustae leges* dicantur pro *legibus Augusti.* Quae ratio etymologica utrum hic valeat necne, quamquam vix disceptari poterit, aliquam tamen ad Octaviani cognomen allusionem inesse nemo fero negabit. Sed ut Freiero concedamus, si Caesar sit Octavianus ac poeta dicat: *Tu, Caesar Octaviane, regis orbem terrarum legibus Augusti,* mira ac paene perversa esse haec verba, probata illius ratione sanam vereque pulchram sententiam effici non negare nequeo. Nam nulla sane laus esset Tiberii, quem ille patronum esse vult, si diceret poeta: *Tu quidem, Tiberi, regis orbem, sed Augusti legibus,* si igitur bonarum legum meritum non ad ipsum, quem alloqueretur, imperatorem, sed ad Augustum deferret. Quanto melior erit sensus, si sic interpretabere: *Tu, Auguste, regis orbem, qui paret Tuis sanctis legibus:* itaque Augustum non suo nutu et arbitrio[1]) clavum tenere dicit, verum laudi ei tribuit, quod certis legibus utatur. Atque id quidem singulare Augusti meritum fuisse[2]) inter omnes satis constat, quoniam orbem terrae, bellis civilibus diu exagitatum, in ordinem redegit atque re publica restituta praeclaras leges sanxit. Ac satis belle faceteque illa verba dicta mihi videntur: Augustus

[1]) Similis sententia invenitur in Hor. c. I, 12 Te minor laetum (var. latum) reget aequus orbem.

[2]) De bonis legibus ab Augusto constitutis, quae peccandi licentiam veluti frenis represserint, videas e. g. Hor. c. IV, 15, 10; Ov. fast. II, 141.

regit orbem, qui non invitus, verum suapte quasi sponte sanctis legibus paret. Praeterea si Caesar hoc loco esset Tiberius, admirationem mihi quidem etiam quae sequuntur inicerent: *Concessum patri mundum deus ipse mereris.* Is igitur ad quem se convertit alloquendo poeta, mundum (i. e. caelum) meretur, qui patri ante eum concessum est; quod quicumque legerit, eius animus eo fere labetur, ut patrem putet primum fuisse, cui mundus concederetur: tum vero temporis, quo fuit Manilius, omnibus, cum de homine in deorum numerum relato sermo erat, primi in mentem veniebat divi Iulii Caesaris, cui primo e gente Iulia concessum est caelum: is igitur pater est: filius autem C. Iulius Caesar Octavianus secundus mundum meretur. Verumenimvero Tiberium si poeta eo loco, de quo agitur, allocutus esset, cur tandem omitteret C. Iulium Caesarem, intellegi minime posset. Iamque summi ad recte interpretandum momenti esse puto haec verba: *das animos viresque facis ad tanta canenda . . . . hoc sub pace vacat.*[1]) Octavianus profecto bellis civilibus, quibus antea universus orbis tum cognitus vastatus erat, profligatis, cum orbi,[2]) tum urbi Italiaeque pacem dederat, ut Musis, cum antea inter arma obmutuissent, rursus locus concederetur; atque quis tandem nescit Augusto imperante ut omnes artes liberales, ita poesin mirum quantum floruisse? Augustus poetis nonne maxime favit? non quacunque poterat ratione adiuvabat, laudabat? Expediet fortasse Ovidii recordatio qui ad Augustum sese convertens sic est locutus: *aspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse* (trist. II, 561); et in Verg. Ecl. 1, v. 6 sq. habemus haec: *O Meliboee, deus nobis haec otia fecit. Namque erit ille mihi semper deus* etc. Ubi de Tiberio quidquam simile? Cuius sub imperio, etsi artes liberales utriusque generis studiosissime eum coluisse Suetonius narrat (Tib. 70), litteras vix renatas tamquam quiescere atque carmina poetarum silere videmus. E contrario sub Augusto, quoniam honos eis non defuit, alebantur artes eiusque regnum paene Apollinis regnum fuit, nec dubito mihi persuadere in Verg. Gg. IV, 10 Apollinem

[1]) de lectione vacat vid. Becterti diss.
[2]) cf. Ov. Met. XV, 832 Pace data terris.

pro Caesare esse dictum.[1]) Nam Augustus non solum cum Apolline conferebatur, sed esse etiam existimabatur Apollo.[2]) Conferri possunt, quae Horatius c. IV 15 sq. dicit:

Tua, Caesar, aetas . . .
Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili,

quibus comparem atque apud Manilium inesse videmus laudationem. Atque tamquam Apollo Musagetes eo, de quo est quaestio, loco Augustus invocatur (Ruediger l. l. p. 6. not. 3). Quapropter aptissimi sunt v. 10 cet., si ad Octavianum, sed minus idonei, si ad Tiberium referuntur. Neque adversatur nostrae sententiae v. 13, quo potissimum nisus Freier post cladem Varianam, antequam Octavianus diem supremum obisset, nullum sine gravi bello annum fuisse dicit. Quid tandem? Roma atque Italia nonne furore civili compresso (cf. Hor. c. IV 15, 17) pacatae fuerunt atque otio fruebantur? Id autem gravissimum est, ut mei quidem animi sententia stat: ibi enim civium discordiis remotis pacis, quae et sunt et appellantur, artes et poterant florere et reapse florebant; ibi sub pace otioque vacavit canere poetis nullo bellorum tumultu impeditis. Sub hac pace floruit Ovidius, quamdiu Romae vitam degit; at Tomos eiectus de terra pacis inopi tristis queritur, qua quae minus fruatur Augusta pace vix humum totum per orbem inveniri dicit (Ep. ex P. II 5, 17 sq. II 7, 17, saepius). Utebatur igitur Italia quiete armisque silentibus silere desinebant carmina. Pannonico autem tumultu (Tac. a. l. l.) misso cum solis Germaniae gentibus illo tempore Augusto bellandum erat, quod bellum per legatos administravit. Reliquas nationes externas ad obsequium brevi redegit (Suet. Oct. 21). Germanorum tamen bella prae pace, qua et ipsa Italia et ceterae provinciae

[1]) Non plane eadem de hoc loco disputantur in Heynii editione a Wagnero Lipsiae 1830 curata p. 132.
[2]) Ruediger quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas. diss. inaug. Marburgi 1887, p. 6.

pleraeque fruebantur, non tam gravia erant, ut omnino de pace sub Augusti imperio dici non possit (cf. Hor. c. IV 5, 25 sq.). Praecipue prae civilibus bellis illi provinciarum motus minore erant gravitate, ac legatorum, ut monui, consiliis gerenda committebantur: nam externa bella Augustus duo omnino per se gessit, Delmaticum adulescens et Antonio devicto Cantabricum (Suet. Oct. 20). Ceterum ne Tiberio quidem imperante plane pacata fuit Germania. Et mihi quidem si sub Tiberio scripsisset Manilius, sane quam mirum esset, cur nusquam Germanos a Germanico victos commemoraret, cuius rei occasio non defuit aut in eis versibus, ubi de Germania dicit (III 633. IV 692. 719. 794.) aut ibi, ubi Freier de Germanico cum locutum putat (IV 776). Animadvertas quoque vel Arminium proeliis ambiguum, non bello victum dici a Tacito (a. II 88). Usque ad annum p. Chr. n. 16, quo Arminius superatus est, cum Germanis bellavit Germanicus, donec sub finem eiusdem anni aut anno 17 per Tiberium, qui gloriae eius invidere videbatur, a rebus gerendis revocatus et in Asiam missus est. [1]) Freier autem iam anno 16 primum Manilii librum com-

[1]) Halucinari mihi persuasi Freierum, cum verisimile esse putet cum Germanico in Germania Manilium versatum esse, et pro certo habeat ab eo Asiam eundem illuc comitato visam esse (p. 72—89). Causae nempe, quibus in hanc sententiam impulsus est, nullo negotio in cassum redigentur, quandoquidem quae de Germania poeta dixit (errat autem Freier p. 75 dicens Germaniam siccam appellari III 633, nam sicca cum tellure est coniungendum), ea et tam pauca et tam universe dicta sunt, ut, quomodo inde Manilium in nostra patria fuisse concludi possit, nesciam. Immo si suis oculis saltum Teutoburgiensem reliquasque terrae illius partes inspexisset, fortasse cur oblata occasione non plura de ea in medium proferret, alicui mirum videri posset. Neque opus est suspicari — etsi id fieri sane potuisse nequaquam negare nec volo nec valeo — Germanicum a. 770 triumphantem et in pompa spectantes captivis spoliis simulacris montium fluminum proeliorum delectantem visum esse ab eo, qui conderet astronomica. Idemque fere cadit in Lansonem, qui inde quod poeta non sine aliquo horrore Germaniam ingentium flavorumque corporum parentem dignamque feris tantum matrem breviter praedicet, Germanos crediderit vel auxiliares vel captivos vel gladiatores Romae cotidie spectandos homini nigris Asiae Africaeve gentibus assueto (sic!) fuisse admirationi. Supervacanea videlicet res fuit haec concludendo assumere, quae expresse memoriae prodita sunt. Imperator quidem Au-

positum esse statuit. — Haec igitur eius de pace a poeta memorata concidit argumentatio: Universe enim, ut vidimus, pacis dulcedine delectabantur Romani, atque ipse Octavianus a. U. C. 725 (f. f. a. a. Chr. n. 29) Iani templum, quod in bello patebat ac post Numam semel clausum fuisse traditur (Suet. Oct. 22), operuerat, ut bellum et discordia inclusa quodammodo viderentur esse ac pax renata. Loquitur de ea re Horatius c. IV 15 sic: *Tua, Caesar, aetas . . . .*

. . . et vacuum duellis
Ianum Quirini clausit.

Quibus adseri possunt e carmine saeculari v. 57 sq., quibus pax et fides et honos laudantur. Omnino multus est Horatius in praedicanda Augusti temporum felicitate, quam ita exornatam ante oculos ponit, ut aurea aetas redisse

gustus Germanorum manum usque ad Vari cladem inter armigeros circa se habuisse disertis verbis dicitur Suet. Oct. 49. Et notum est etiam Romanos Germanorum, cum primum eos conspexerunt, admiratione captos esse. Tum vero cum astrologica carmina scripta putamus, de Germanis, quibuscum saepissime iam congressi essent, Romanorum unumquemque in universum edoctum fuisse consentaneum est. Etenim postquam Cimbri Teutonique tantum Romanis terrorem iniecerunt, tota ut trepidaret Italia solidusque tremisceret orbis, primus Posidonius (cf. Athen. IV p. 153 et Strabo II p. 102. VII 2. p. 292—294), tum C. Iulius Caesar Rhenum bis transgressus mores Germanorum descripsit; Cicero et de Caesare et de Mario composuit carmina, ubi de Germanis dicendi fuit occasio; Furium Bibaculum (Teuffelii § 192, 8 et 9) de bellis, quae Caesar cum Gallis gessit, pragmatiam scripsisse probabile est, Sallustius de proavis nostris in historiis narravit (cf. Sall. ed. Fr. Kritz Lps. 1853, vol. III, p. 236 sq. et Sall. ed. Rud. Dietsch Lps. 1859, vol. II, p. 127), Livium autem in l. 104 de Germanorum situ ac moribus exposuisse periocha, quam habemus, docemur: itaque suppeditasse hercle fontes uberrimos certum est, in quibus de Germanorum populis sicut poetae, qui ei antecesserant (cf. Verg. Ov. Hor. cet.), ita hic, quisquis conscripsit astronomica, si voluit, aliquid inveniret. Ea quae de Germania dicit, etiamsi ipse non viderat, scire tamen potuit atque adeo debuit. Sed enim Freieri ratiocinationem si sequeremur, etiam inde, quod Horatius (c. IV 5, 26 quem versum mire cum Manilii v. IV 794 conspirare petam ut animadvertas) Germaniam horridam, Raetos immanes (IV 14) dicit ac similia, eum in illis terris versatum esse efficere deberemus. Commode autem accidere mihi video, quod ipse ille, contra quem subii disputationem, coniecturis indulgens ne ad nugas ineptiasque effingendas descenderit, vehementer veretur (p. 75).

videatur: Augusteam simillimis verbis atque auream aetatem depingit[1]) eandemque fere tranquillitatem et securitatem Octavianum orbi dedisse dicit cf. c. IV 5.[2]) Similiter atque Horatius plurimis locis (Met. XV 832 sq. Fast. 1, 281 sq. 709 sq. etc.) Ovidius pacis bona et commoda ab Augusto bello paratae summa veneratione prosequitur. Gravioris momenti sunt Fast. I 700 sq.:

Gratia dis domuique tuae (Germanici) *religata catenis*
Iam p r i d e m nostro sub pede bella iacent.

Atque ex elegia quadam ab incerto auctore, quem certissime aevo Augusteo floruisse vv. dd.[3]) iudicavere, de nuce conscripta locum ciere utile est, quo de Augusta pace haec audimus:

Sed neque tolluntur nec, dum regit omnia Caesar,
Incolumis tanto praeside raptor erit.
At non ille deus pacem intra moenia finit:
Auxilium t o t o spargit in orbe suum.

Multos alios quoque locos prodire iuberem, ni longum esset. Iam vero cum Augustus vel Paci deae, atque, quod quidem sciamus, primus in campo Martio aram constituisset,[4]) nihil mirum est, quod ad speciem aureae aetatis, qua sine militis usu gentes securae mollia otia peragebant (cf. Ov. Met. I 89, cet; Germ. phaen. *pacatus mundus* 103 sq.), eius imperium semel atque iterum a poetis revocatum est; ac suo sane iure Vergilius in Aen. I 295: *Dirae* inquit *ferro et compagibus artis*

Claudentur belli portae. Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Quibus mirum in modum similia sunt, quae Manilius in primi astronomicon libri fine profert:

---

1) Similiter Claudianus de Fl. Mallii Theod. consul. v. 135 sq. felicitatem, quae sub Honorio ac Stilichone sit, praedicat.

2) Aliter nonnulli versiculis Tiberio praesentia exprobrabant et futura denuntiabant mala (Suet. Tib. 59; Baehrens frg. p. L. p. 360):

A u r e a m u t a s t i S a t u r n i s a e c u l a, C a e s a r;
I n c o l u m i n a m T e f e r r e a s e m p e r e r u n t.

3) cf. Baehrens p. L. m. I p. 88; L. Mueller de re metrica p. 49. Teuffel hist. litt. Rom. edit. 4 § 251 not. 4.

4) cf. Prelleri mythol. Rom. 3 tom. II p. 251; Ov. fast. I 709.

iam bella quiescant,
Atque adamanteis discordia vincta catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clausa. (cf. Ov. Ep. ex P. I 2, 126). Itaque cum iam a. a. Chr. n. 29 Augustus Iani templi portas clausisset, qua re factam esse pacem significaret, perque totum paene eius imperium a poetis pacis laudes pronuntiarentur, cur post a. 9 eandem pacem laudare Manilio non licuerit, ego non intellego. Immo cum etiam tum bella quieverint praeter Germanicum totaque Italia tantae pacis favore gavisa sit, ut poetae nulla re prohiberentur carmina scribere, bene rem se habere putem, quod Manilius laudibus et Augustum et pacem efferens initium canendi facit atque de eisdem locutus toti libro finem imposuit, qua re optimum quendam cumulum ei accedere sentias. Ceterum ipse Tiberius Augustum stabilem reipublicae salutem peperisse in laudatione dicit.[1])

Quod autem v. I 40—42 ad Tiberium spectare Freier voluit, idem sentire non possum: neque enim ullam ad praesens regnum sive Augusti sive Tiberii allusionem perspicere valeo. Torsit ille, ni fallor, *regales animos*, quibus verbis nihil omnino nisi Chaldaeorum antiquissimos reges significari mihi est evidentissimum. Neque iusto iure ea re commendari alterum imperatorem iudicavit Freier, quod astrologiae curiosus et peritus fuisset:[2]) hoc argumentum recte refutavit Lanson l. l. p. 15. Denique ad suam de Tiberio carminis patrono sententiam stabiliendam Fortunae cultum, qualis illo imperante fuisset, nullo iure potuit arcessere Freier (p. 16 et 17), quandoquidem iam antiquissimis temporibus huic deae cultum non defuisse vel inde manifestum fit, quod duo ei templa a Servio aedificata esse credebantur; erantque complura quasi Fortunae genera, quae aut publice aut privatim invocabantur, atque hunc cultum, cum non minus sub primo quam sub altero Romanorum imperatore eum floruisse certum sit, id quod ipse Freier

---

1) Dio Cass. LVI 36 τὸ κοινὸν ἀκριβῶς ἔσωσε.

2) Prorsus aliter iudicavit Teuffelius, qui astrologorum artem in IV editione sub Tiberio poetae periculosam fuisse putat: vielleicht, dass die Gefährlichkeit der Astrologie unter Tiberius von der Vollendung abschreckte.

largitur, omnino non opus erit respicere nostram quaestionem soluturos. Sive enim hunc sive illum mavis intellegere, non importuna est illa in v. I 114 exclamatio: *Faveat magno Fortuna labori!*

Quae cum ita sint, magna teneor spe neminem iam negaturum veri aliquanto esse similius initio carminis poetam alloqui Octavianum quam Tiberium, neque quisquam Tiberium illic intelleget, nisi aliis eisque gravioribus causis ad eam opinionem adductus erit. Sed desunt argumenta, unde ad hunc illos versus, de quibus locuti sumus, referendos appareat. Videamus, quae ex aliis Manilii locis colligere possimus.

In diversas quoque partes discedunt vv. dd. sententiae de l. IV v. 934 et 935, quibus finito hoc libro Augustum nondum excessisse e vita et inter deos relatum esse certum est et confirmatum, si Iacobo aures praebemus (p. 162). Eisdem versibus alii, quo in numero imprimis est Lachmannus eiusque opinioni insistens Freier, apotheosin mortui Augusti per Tiberium factam indicari sibi persuaserunt. En ipsa verba:

Iam facit ipse deos mittitque ad sidera numen,
Maius et Augusto crescet sub principe caelum.[1]

Ubi a lectione *crescet,* cum omnium codicum consensu praebeatur[2] nihilque habeat, quo offendat, non recedo, sed retinenda est: neque neglegendum puto a poeta futuri temporis huius verbi formam hic adhiberi, non praesentis. Praeterea observes v. 934 incipere a particula *iam:* i a m facit, ut ait poeta, ipse homo deos mittitque ad sidera numen. Etenim Caesar divus est, defuncti quoque sunt Caesares Gaius et Lucius iamque Octavianus deus ac sidus fit; vivus igitur Augustus divinitate quasi indutus fuit, quamobrem l. I 9 poetae dicere licuit Octavianum *deum* mundum patri concessum ipsum mereri. Eius quoque numen ad sidera mittunt Romani, sed nondum est in mundo. Quando autem illuc pervenerit, etiam maius sub hoc principe caelum crescet. Post

1) Alii falso post m a i u s, quod ad numen trahunt, non post n u m e n interpungi iubent, ut W. E. Weber corp. poet. Lat. Francofurti 1832, p. 637; sic iam in Basileensi editione distincta sunt verba, in qua etiam a u g u s t o (non Augusto) p r i n c i p e scriptum videmus.

2) cf. praeter Iacobi editionem: P. Thomas lucubrationes Manilianae (Inest codicis Gemblacensis collatio) Gandavi 1888.

mortem igitur Augustus ibi regnabit. Augustus autem, quin sit, ut supra exposuimus, Octavianus, dubium non est. Ergo quoniam facere non possum, quin Iacobi accedam explicationi, de apotheosi viventis Augusti interpretor.

Adeas nunc, si placet, l. IV v. 764 sq.:

Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem,
Tumque domus vere solis, cui tota sacrata est,
Quom caperet lumen magni sub Caesare mundi,

e quibus plerique interpretes recte efficiunt,[1] ut tunc, cum l. IV composuit poeta, Augustus inter vivos fuerit et Tiberium aliquando imperium a patre accepturum nemo ignorarit. At vero Freier ceterorum de viventi Augusto argumentationem ad nihilum sese redegisse ratus probare conatur hos versus melius Germanico quam Tiberio convenire, qua in re neminem illius fore assectatorem spero. Vix Freieri interpretationem refelli opus esse timeo ne dicas; verum, ne quid minore quam decet diligentia tractasse videar, de illius argumentatione quae notanda sint apponam.

Etiamsi enim Germanicum quoque in Asiam proficiscentem[2] aliquot dies in insula Rhodo moratum fuisse e Taciti annalibus scimus, tamen, cum quis Romae de hospitio alicuius principis Rhodiensi loquebatur, non de Germanico, sed de Tiberio unusquisque cogitabat, quem Rhodi versatum esse multo magis notum erat quam illum, cuius navem eo appulsam esse ibique in ancoris aliquamdiu constitisse non ita multi, puto, gnari fuerunt. Tiberii nimirum Rhodia commoratio omnium

1) Errat sine dubio in Paulii litterarum encyclopaedia de Manilio disputans Broeckelius, cum hos versus scriptos esse contendit, quo tempore Tiberius Rhodi versatus sit.

2) Hic liceat commemorare haud dubie Freierum v. IV 776 falso de Germanico interpretatum esse, qui per Graeciam Asiaeque gentes profectus „profecto“ orbem condidisset (p. 80); nam optimus codex Gemblacensis (cf. Thomas l. l. p. 49) cum aliis habet: Q u a g e n i t u s c u m f r a t r e R e m u s h a n c c o n d i d i t u r b e m. Qui versus, cum producta ante caesuram syllaba (sed cf. Cramer l. l. p. 18 et 19) offendat in verbo Remi, a multis spurius ducitur; cf. Iacob progr. Lubec. 1835, p. 29. Et monendum praeterea est Tiberium, quem patronum eius fuisse putat, aegre magis a Manilio irritari potuisse quam si ita, ut Freier p. 81 opinatus est, Germanicum a. U. C. 772 (a. p. Chr. n. 19) celebrasset,

in ore fuisse putanda est, praesertim cum illic specie secessus exsul egisset ab a. a. Chr. n. 6 usque ad a. p. Chr. n. 2.[1]) Quamobrem cum parvulum temporis spatium Germanicus, magnum Tiberius in illa insula soli sacrata (cf. Lucan. 8, 244 claram sole Rhodon) fuisset et hunc in illud exsilium eiectum esse nemo tum Romanus ignoraret, nihil erat, quod Germanici in insula Rhodo commorationem memoraret poeta. Teneas igitur — quod omnino dubitari non debuit — Tiberiani exsilii mentionem fieri. Quod si concedetur, non opus est Freieri de participii *recturi* ratione sententiam refutare. Namque licet usi sint ea verbi forma, ut notaretur (Freier p. 38) non is, qui haud ita multo post ad rem publicam accessurus est, sed si, cui Rhodi morandi iam fato destinatum est aliquando imperium submittere, tamen nihil refert, utrum sic an aliter participii futuri vim accipiamus: utique Tiberius, non Germanicus dicitur recturus: est Rhodus, ubi hospes moratus est is, qui reget vel si mavis, cui destinatum est regnum. Ergo nondum regnat Tiberius, regnat Augustus. Si contra Tiberio imperante l. IV scripsisset, aliter poetae dicendum fuit, ut exprimeret: est Rhodus, quod olim fuit hospitium eius, qui et nunc regit et postea recturus est, vel eius, cui iam tum, cum ibi versatus est, regnum destinatum erat. Vel ob eam causam v. 766 ad Germanicum referri nequire arbitrer, quod male Manilius Tiberii favorem sibi conciliasset, si Germanicum tum, cum a victoriis, quas in Germania reportaverat, a Tiberio invidia commoto revocatus in Asiamque missus erat, successorem fore dixisset. Tale quid Tiberio regnante scribere quin valde veriturus fuerit poeta, mihi dubium esse non potest. Neque magis tum Germanicum *mundi lumen* dicere potuit. Quae vox minus offendit, si Tiberium intellegimus Augusti gratiam rursus adeptum, cum praesertim apponat poeta: *magni sub Caesare mundi.* Non optime vertit hunc locum Pingreus (t. II p. 91) sic: „Consacrée au soleil celle devint bien véritablement la maison de cet astre,

---

[1]) cf. vv. populares in Tiberium Suet. Tib. 59 (Baehrens frg. p. Lat. p. 359 et 360), imprimis hi:
omnia si quaeras, et Rhodus exsilium est
et ad regnum quisquis venit ab exsilio.

lorsqu'elle admit en son enceinte celui qui après César est la vraie lumière du monde“, neque assentientem me habet Lanson, cum p. 25. dicit: „Verba sub Caesare cum accipi ita possunt, ut Tiberius lumen mundi esse post Caesarem declaretur, vel sub fulgore Caesaris, quo non aliud maius est numen, tum significare possunt in Caesare.“ Sed effugit plerosque, quam arte verba *magni sub Caesare mundi* inter sese conexa sint; mundus est magnus sub Caesaris Augusti imperio vel per eum: is est auctor magnitudinis. Itaque uno hoc loco aliquam laudem in Tiberium, ut qui in Augusti locum successurus sit, cumulatam videmus, verum maioribus laudibus effertur praesens imperator, cui omnia mundus debeat. Poeta quoniam timuisse paene videtur, ne si Tiberium solum hic verbis tolleret, Augustum offendere posset, hunc praedicare non neglexit.

Quodsi recto talo nostra interpretatio stat, libros priores quattuor vivo Augusto apparet scriptos esse. At nondum omnes difficultates remotae sunt. Superesse enim locos, de quibus disceptetur, videbimus; vel non desunt nonnulli, quibus leviter tantummodo inspectis et iudicatis id, quod modo probatum putabamus, concuti et labefactari videri possit. Quapropter hos accuratius pensitemus necesse est: in medium igitur venient l. I. vv. 899, 922, 800, 385, 916.

Corruet autem statim sententia Freieri pugna Teutoburgiensi paullo supra commemorata vix *invictum* in v. 925 Augustum appellari potuisse arbitrati: id enim nullo pacto tolerandum esse atque hunc quoque locum ad Tiberium melius quadrare. Quod cum dixit, primum non reputavit pro multis magnisque ceteris rebus ab Augusto bene gestis una illa clade, quam non ipse, sed Varus accepit, vix meritis eius quidquam demi; dein monendum censeo Augustum ipsum in indice rerum a se gestarum prorsus de hac clade tacere.[1]) Neque indignum fortasse est quod reputetur a Manilio, ubi, quod res publica Romanorum versata saepe in discrimine semper servata sit, fatorum numini ascribit (IV 23 sq.) ac multas res trepidas et afflictas commemorat, cladem Varianam in eo genere adeo non haberi, ut, quasi nullius ponderis sit, omnino omittatur. Neque adeo

---

[1]) cf. Mommsen res gestae divi Augusti edit. II. Berol. 1883.

eo confugere coacti sumus, ut per hoc verbum, de quo surrexit dubitatio, cum significari posse dicamus, qui aegerrime vinci possit,[1]) vel sic interpretemur: möge er (trotz der Niederlage des Varus) ungebeugt sein,[2]) sed poetarum licentiae hoc tribuendum est, qui saepenumero laudes virtutesque augere et exaggerare solent.[3]) Ipsum autem *Invicti* nomen appellationem Caesarum esse honorificam et adulatoriam e Finckei[4]) dissertatione discas. Augustus porro graves clades duas omnino nec alibi quam in Germania per legatos accepit, Lollianam et Varianam,[5]) legatorum autem detrimenta non ad ipsum Augustum referenda sunt. Ceterum C. Iulius Caesar quoque et apud Dyrrhachium victus et Alexandriae in summo periculo versatus est ac plus unum certe edepol fusum fugatumque vidit legatum:[6]) nihilominus responsa data fuisse dicebantur per totum orbem nasci *invictum* imperatorem.[7]) Neque ne aberrem a scopo timendum erit, si Horatium huc arcessam, qui in c. III 27 Iovem *invictum* appellat, ut deum *omnipotentem* significet. Augustum enim cum Iove saepius comparatum atque etiam pro Iove habitum eiusque nomine nuncupatum esse postea viderimus. Bene quoque fortasse mecum agitur, si adulatores *Invictum* dixisse Augustum suspicor neque hunc repudiasse nomen adulatorium:[8])

---

1) velut superlatione quadam adhibita apud Iustinum (12, 15, 4) in mortem animus invictus legitur.

2) hanc significationem habet invictus apud Hor. art. poet. v. 123 (sit Medea ferox invictaque).

3) Ob id ipsum v. Hor. sat. II 1, 11 (Caesaris invicti res dicere) ad tempus statuendum, quo haec satura composita sit, nihil valere putarim, namque certum mihi est iam ante Actiacam pugnam (a. 31) Octavianum a poeta invictum appellari potuisse reportata dumtaxat victoria navali a. 36 (cf. Dio. Cass. 49, 14 et 15), cf. etiam Kiesslingii notam.

4) Alfred. Fincke de appellationibus Caesarum honorificis et adulatoriis etc. Regimonti 1867.

5) quod attestatur Suet. Oct. 23.

6) cf. Suet. Oct. 36.

7) Haec a Suetonio in Caesaris vita, cuius principium mutilum est, e commentariis a Servio ad Vergilii Aeneidem (cf. 6, 799) scriptis tradita fuisse scimus.

8) ut exemplum afferam, blanditiae et assentationis causa hoc vocabulum in panegyrico Constantino Caesari d. adhibitum est in allocutione Caesar invicte, cf. Baehrens paneg. Lat. Lps. 1874, p. 148; praeterea

huc recte referatur, quod cum nonnulli censerent, ut Tiberius post Illyrici defectionem feliciter sedatam *Invictus* cognominaretur, Augustus de cognomine intercessit, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset (Suet. Tib. 17). Coniciam igitur quamvis meo Marte in metum quendam adductum intercessisse illum, ne sua ipsius merita honorificentissimum illud nomen Tiberio datum memoria oblitteraret. Adde quod in nummis Augusti Victoria saepe aut globo aut prorae navis insistens picta erat (Eckhel N. D. VI 83). His de causis, si Manilius Augustum appellasset *Invictum*, id miri mea quidem sententia nihil haberet, praesertim quod etiam in tristibus, in quibus non deest Varianae cladis mentio,[1]) Ovidius dicit (V 1, 41):

Lenior Invicti si sit mihi Caesaris ira,
Carmina laetitiae iam tibi plena dabo,

et in Ep. ex P. I 2, 125 *qui vicit semper, victis ut parcere possit.* Sed ne nominatur quidem *Invictus* a Manilio Octavianus, immo optat tantum poeta, ut invictus pater patriae sit; respicit igitur futurum tempus. Observes praeterea sis, quam caute inserta sit pugna illa in saltu Teutoburgiensi facta: etenim attribuitur clandestinis Germanorum gentium fraudibus.

Iam in alia re insigniter dormitasse Freierum facillime cognosces, quem quod non solum non refutavit, sed etiam sequi videtur Lanson,[2]) vehementer subit mirari. Ille enim coram Augusto sententiam a poeta putat expressam esse parum aptam his verbis: *Sit Roma sub illo!* „Quis tandem fuit, ait ille p. 23, qui post a. U. C. 762 vel timuerit, ne Octavianus pater patriae esse desineret, vel eum ex altissimo dignitatis gradu praecipitare ausus sit! Neminem unum equidem adhuc vidi

---

cf. Veg. mil. epit. 3; Corp. inscr. lat. VII 62, 167, 226, 314, 875 saepius; Acta sem. philol. Erlangensis, t. II.

1) cf. Edmund Meyer die Chronologie der ovidischen Gedichte und das Jahr der Varusschlacht. Z. f. d. Gymnasialwesen, XXXII. Jahrgang. Berlin 1878. p. 449 ff.

2) p. 21 pedestri enim oratione versum poetae sic reddit: vivatque Caesar imperetque Romae invictus imperturbatusque, discordias omnes et bella compescens. Fincke quoque l. l. Man. I 926 citans falsa interpunctione utitur.

apud historicos“. Valde equidem vereor, ne ille non recte verterit. Non credo dicere voluisse poetam: sit Roma principi subiecta seu pareat ei; sed subaudiendum est *sit Roma invicta sub illo,* et *invicta* illud supplere cogimur, ad eamque sententiam anaphora quoque (*sit-sit*) adducere videtur, per quam saepissime enuntiata similiter contexta vel inter se concinna coniunguntur. Verum ad Tiberium si quis hos versus referre vellet ac Freieri interpretationi absurdae verborum, quae sunt *sit Roma sub illo,* assentiretur, nostrum quoque esset interrogare, a. p. Chr. n. 16, quo hunc primum librum Manilii confectum esse Freier vult, numquis Romae fuisset, qui timeret, ne Tiberius, postquam per biennium paene tuto iam rei publicae gubernaculum tenuit, imperare quando desineret, vel eum praecipitare auderet! Nihil quidem de hac re historici. Inde sequitur, ut ineptissimam Freieri explicationem quam celerrime Morboviam abire iubeamus. Aliter, ut opinor, res se haberet, si dixisset poeta: sit *semper* Roma sub illo vel aliquid simile, ut legas Ov. Fast. IV 859 *et sis magno sub Caesare semper,* vel Calp. Ecl. IV 144 (Baehrens p. L. m. III p. 88):

Hunc, precor, orbem,
Hos, precor, aeternus populos rege! sit tibi caeli
Vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem!

A mea parte etiam Pingreus et Merkelius stant, id quod sua uterque versione mihi indicare videtur. Neque aliud hic quamvis leve argumentum ommissum velim, quod iam supra p. 14 tetigi. Patrem enim patriae Octavianum, non Tiberium esse vel inde apparere multi dixerunt, quod Augustus illud cognomen accepisse, repudiasse vero Tiberium traditum esset (Suet. Oct. 58. Dio 55, 10. Tac. a. I 72. II 87; Freier l. l. p. 10, not. 2).[1] Non sine momento puto esse, quod etiam in v. I 913 Octavianum *patrem* dicit Manilius. Iuvat nos Horatii quoque memoria, cuius in l. I c. 2, 50 haec legimus: *Hic ames dici pater atque princeps,* vel Ovidii, qui Trist. II 35 sq. haec exhibet:

---

[1]) In nummis quoque pater patriae Augustus appellatus est cf. Cohen Aug. n. 42; cf. Sitzungsber. der Berl. Akad. 1885. p. 73. De patris patriae nomine cf. etiam Fincke l. l. p. 7 et 8.

Iure igitur genitorque deum rectorque vocatur,
Iure capax mundus nil Iove maius habet.
Tu quoque cum Patriae rector dicare Paterque
Utere more dei nomen habentis idem.

(cf. Ov. Fast. II 127 et alibi). Quam vero gratum Augusto illud nomen fuerit, appareat inde quod ipsum ad id et in ea oratione, quam habet Dio 56, 9, et in Monumenti Ancyrani fine videmus provocare; ac Tiberius in oratione funebri dignum id putat, quod commemoret (Dio 56, 41) his verbis: *διὰ ταῦτα εἰκότως καὶ προστάτην αὐτῶν καὶ πατέρα δημόσιον ἐποιήσασθε.* Quodsi adamaverat hoc cognomen Augustus, de quo saepe a poetis adhibetur, Tiberius vero publice repudiavit, vix est credibile Manilium eo illum allocutum esse. Quod autem Freier statuit poetam in universum dicentem petisse, ut per omnia saecula talis in tutela esset civitas neque in manibus eorum, qui novas res molirentur, sed semper permaneret saeculum Augustum, id artificiosius inventum subtiliusque quam verius dictum puto non dissidens ab ipso huius subtilitatis auctore (cf. Fr. p. 24). Quam ad interpretationem ea potissimum re vir doctus videtur commotus esse, quod v. 925 poeta tertia persona utitur. Putat enim, si Augustus tum vixisset, alteram personam adhibendam fuisse ad alloquendum principem, carminis patronum. Nec vero ullam videre valeo necessitatem. Ne mihi enim neglegas tertia persona antea iam eum usum esse, cum de Augusto ageret, v. 385 itemque v. 914. Itaque per eandem personam persequi eum potuisse nemo negabit. Atque etiam si quis cum Feiero consentiens Tiberii aetate astronomica orta putet, rectissime monetur a Lansone p. 15 nonnullos locos restare, quibus vates tertia persona usus versus faciat de patrono, si omnino hoc verbo uti licet; etenim astronomicon libri num, ut nonnulli opinantur, proprie dedicati principi ad eumque missi sint, nesciens quoad recentiorum nemo de librorum apud antiquos dedicandorum more fusius egit, nec negare nec affirmare ausim.

Nunc quoniam satis probatum intellego ad Augustum v. 925 pertinere, pauca addenda sunt de versu insequenti, qui est inter difficillimos deque eius sensu, quamvis multi in eo enucleando sudarint, adhuc ambigimus.

Minus diversae essent opiniones, si, qua vi particula *cum* posita esset, ulla ratione fixum certumque fieret. Per se enim spectata et causalis, ut aiunt grammatici, et concessiva et temporalis potest esse: atque tempus quidem et generale, ut quotiens, et singulare, ut postquam, significat. Ad has omnes notiones, ut loco salutem pararent, interpretes confugerunt. Sed quoniam Freierum, cum universe de servando principatu verba fecisse poetam opinaretur, aliquanto a meta aberrasse supra docuimus, ea interpretatio, qua particulae eadem vis, quam habet quoties, subicitur, reicienda est. Omnia enim in fine libri primi in eam nos deducunt opinionem, ut de uno illo, a quo discordia quasi catenis alligata et constricta sit, poetam loqui censeamus. Itaque sive eam significationem, quam habet postquam seu quam habet quamquam, coniunctioni *cum* concedemus, utique non de Caesaris morte Manilii verba intellegam. Quae qui ad Caesarem spectare volent, ita fere interpretabuntur: Quamquam Caesar relicto orbe in deorum numerum receptus caelo accessit, tamen ne desideret populus Romanus eius potentiam salubrem in terra, etenim favet etiam absens precantibus (cf. Ov. Met. XV 870). Neutiquam haec recta! Sed de Augusto loquitur in antecedentibus versibus, de eodem Manilius ultimis: quos primum attingenti mihi placuisse confiteor illam explicandi speciem, ut *dederit* sit futuri exacti forma et particulae *cum* insit vis temporalis (= wenn) ac sic intellegatur: Roma sit Augusto imperante invicta! cum vero mortuus erit ac relicta terra caelum ascenderit, ne desideret eum. Huc igitur spectasse poetam putaveram, ut diceret non timendum esse, ne quando post Augusti obitum terrestri imperio successor deesset illo dignus, quia Tiberius in successionis spem venisset. Aliter sane Iacobus, qui Tiberium in insula Rhodo latitantem Romanisque invisum carpi ratus atque ultimum versum interpretatus ita: ne careat ipsa (Roma) successore imperii terrestri, adiecit haec (praef. p. XVII): „Quod non addidisset, si Tiberius iam tum in spem successionis venisset aut expetitus fuisset a populo. Quod si verum est, non sane ea odii vestigia reliquisset tum, cum ille ad imperium venerat, si carmina ultimam manum essent experta".

Illud quoque mecum reputavi, num forte ad ea, quae praecedunt, illa verba referenda essent, ad versum nimirum 904 ac sequentes, quibus dicit poeta calamitatem sat saepe ipsa hominum culpa comparari, quia caelo mala et pericula per cometarum omina significanti credere nesciant. Apparere ex his forsitan possit Augustum, quamquam Chaldaei male rem gestum iri praedixerant, caelo rubore ardenti non credidisse; cumque ipsa natura cladem quasi minante Germanicum bellum suscepisset, domi culpa fuit. Iam v. 926 Augustum in caelo versantem facit poeta: is igitur adeatur, is consulendus est neve quaeratur deus in orbe, ut antea factum erat, cum Chaldaeos non adissent vel potius eorum vaticinia neglexissent.

Sed ne hac quidem via, quem adepti sumus interpretamenti modum, ab omni parte dubitatione vacuum talemve esse video, qualis prorsus nobis satisfaciat: immo cum aliquid miri in ea re haereat, quod, si illa ratione progredimur, Augusto poeta neglegentiam quodammodo exprobrat, quia astrologorum praeceptis parum obtemperans fuerit, legatique clades imperatori tribuitur, magis eo nunc inclino, ut ad solum Varum ducem, cuius temeritate et neglegentia cladem accidisse Tiberium animadvertisse Suetonii testimonio confirmatur (Tib. 18), vv. 904 et 905 referendos neque ullo cum his vinculo nectendos esse arbitrer postremos l. I. versus. Qua in re qui in meas partes transierit, is concessivam vim voculae *cum* tribuere debebit, ut interpretemur sic: quamquam Augustum populus Romanus caelo dedit, tamen non requirat in terris; namque etsi deus in caelo est, tamen etiam nunc vivit; simul enim et dei et principis fungitur vicibus. Hanc explicationem proposuit[1]) Lanson (p. 23), cui ita fere Manilius videtur sensisse: „Ne Roma, licet iam caelo dederit Augustum, illum tamquam amissum quaerat in orbe. Nam deum quidem, sed in terris praesentem deum Caesarem habet utinamque diu habeat". Non dubium autem esse, quin Augustus vivus a poeta in caelo iam versans fingi potuerit, posthac videro.

---

[1]) Sic iam Weber corp. poet. Lat. p. 610 videtur interpretari adnotans: Deus Augustus, vivus ab oppidis Italiae, deinde a senatu deus declaratus.

Non minor adhuc sub iudice lis est de interpretandis versibus I 384—386:

Cetera non cedunt; uno vincuntur in astro [1])
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi
Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.

Comparatur ibi cum septentrionali caelum meridionale unamque ait poeta esse differentiam, quod adsit septentrionali Augustum astrum, desit apud antipodas. Freier quidem ita (p. 19) explicat: In sidere Augusto, cuius summa in caelo vis et auctoritas est, nunc regnat Octavianus, in orbe terrarum Tu, Tiberi; sed ut primum obieris diem supremum, post patrem summum caeli imperium obtinebis. Bentleius olim vel

Augusto, sidus nostro qui contigit orbi vel
Augustum sidus, nostro quod . . .

legendum esse proposuit. Lachmannus quoque voluit *Augustum sidus.* Plerique mihi in eo errare videntur, quod versum 385 distinctione seu graviore (; vel:) seu leviore (,) claudunt, qua re indicant se credere insequente versu poetam alloqui Caesarem, id quod nullo pacto potest stare. Hoc fuit, ni fallor, quod hunc versum cum praecedentibus male coniunctum quasi claudicare iudicaret Breiter atque ut hunc ita v. 385 interpolatum criminaretur. [2]) Equidem nihil muto, sed ea interpunctione, quae, quamvis verum iamiam Basileensi editione praebeatur, falso post verbum *orbi* (385) ab editoribus poni solet, deleta sic interpretor: uno in astro Augusto vincuntur alieni caeli sidera, quia sidus nostro orbi contigit Caesar Augustus. Igitur, si quid sani vidimus, verbulum *quod* in v. 385 non est pronomen, sed coniunctio, quam vocant grammatici. Astrum autem Augustum idem esse atque sidus Iulium, ut universis placere videtur, ego negaverim, potius Augustus ipse quamvis vivus sidus factus est. [3]) Eodem enim tempore in terris ver-

[1]) De vi praepositionis in in v. I 384 (uno vincuntur in astro) vid. M. Bechert zu Manilius' astronomica in Fleckeis. Jb. f. kl. Phil. 1879, p. 798 sq.

[2]) Fleckeis. Jb. 1889. tom. 139 p. 195.

[3]) cf. Val. Max. I praef., qui Tiberium alloquens discernit inter paternum et avitum sidus, cum dicit: cetera divinitas opinione colligitur, Tua praesenti fide paterno avitoque sidere par videtur.

satur, et tamen caelo quodammodo illatus iam sidus est. Verba denique *nunc terris, post caelo maximus auctor* per appositionem ad antecedens verbum traho. Itaque, quod Freier credere non vult, scripsisse poetam Augustum astrum caelo septentrionali contigisse, antequam Octaviani anima in caelum ascendisset, id fieri potuisse mihi videtur atque ad muniendam meam sententiam similes locos afferam. Quamquam antea ad explicandos v. I 798 sq. nos accingamus opus est, quos, cum prima specie admodum miri videantur esse, varie varii intellexerunt. Sunt autem hi:

. . . *Venerisque ab origine proles*
Iulia descendit caelo caelumque [1]) *replevit;*
Quod regit Augustus socio per signa Tonante,
Cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum
Altius aetherii quam candet circulus orbis.
Illa deum sedes, haec, illis proxima, divum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Enumerantur inde a v. 762 viri fortes, quibus ob virtutes in viae lacteae stellis sedes concessa sit, atque primum per accusativum aut vocativum, tum non nisi per nominativum afferuntur; a recto autem tenore desciscere quae vulgo per editiones circumferuntur: [2])

Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo caelumque replevit,

recte intellexit Thomas (l. l. p. 20). Sed haec non est codicum culpa, id quod ille ratus *et Veneris quae ab origine proles descendit* [3]) emendavit, verum falso viri docti edere consueverunt. Post nominativum enim *Iulia* si distinxerimus, non iam erit perturbata constructio. [4]) Insequentia autem annectuntur per parenthesin,

[1]) In the classical Review 1890 (some emendations of Manilius) Robinson Ellis pro caelumque coniecit soliumque: quod probari non potest.

[2]) De horum verborum interpretatione praeter editiones videas Wernsdorf p. L. m. Altenberg 1780. p. 312 sq.

[3]) cf. Wochenschrift f. kl. Philol. 1889 Nr. 34 p. 923 sq. ubi Freier contra hanc coniecturam defendens tradita verba post suae fortissimam distinctionem poni et que pro denique intellegi vult. Mecum agere videtur K. Rossberg Berl. philol. Wochenschrift 1889 Nr. 34 p. 1076, qui post Iuliae vocem iubet interpungi.

[4]) Hanc interpretationem debeo Birtio.

quae dicitur *(descendit .... tangunt)*. In v. 800 nihil fere intemptatum reliquerunt homines eruditi. Erant enim quondam, qui hic non caelestia, sed militaria intellegenda esse signa [1]) decernerent, in quibus Iovis et Iulii Caesaris (aut forte rectius Augusti) depictae imagines ex aequo colerentur.[2]) Sed quoniam de caelo sermo est, de militaribus signis haec nullo modo interpretari possumus. Scaliger annotat p. 90: „Quare dicit caelum regi ab Augusto, quod nondum tenebat? id est in quod nondum relatus erat. Hoc mortuo Augusto melius conveniebat. Neque hic illud facit hilum: Divisum imperium cum Iove Caesar habet. Nam terras ab Augusto, caelum a Iove regi dicit.“ Erravit autem Stoeber (ad v. 778. p. 230), qui, quoniam nullus poetarum neque adeo noster eo adulationis processisset, ut Iovem Augusti socium appellaret, neque ille per signa tonare usquam legeretur, pro *tonante* voluit *volante* legere, ut intellegeretur Sol, qui per signa volare mundumque regere permultis locis diceretur. Nec vero opus est coniectura, cum Tonante, quod pro Iove tonante ut saepissime [3]) positum est, bene tradatur. Neque rectius de verbis *Cernit et in coetu DIVVM MAGNVMQVE QVIRINVM* idem vidisse putandus est, quae interpretatur ita: „C. Iulius Caesar in coetu divûm (i. e. divorum) cernit etiam magnum Quirinum.“ Prorsus enim neglectum est illud *que*. Perperam quoque accepit sensum Merkelius, qui divum putat esse adiectivum cumque voce Quirini ita coniungit, ut structurae *divum magnumque* nulla insit gradatio. Vertit Pingreum, ut videtur, secutus: „Er sieht dort sich gesellt den vergötterten grossen Quirinus“. Sed Divus sine dubio hoc loco positus est pro *Divus Iulius*, id quod fieri potuisse, exemplo si duceris, ex Verg. Aen. VI 793 tibi dilucebit. Unde sequitur prolem Iuliam non esse Iulium Caesarem,

---

1) Verba **per signa** optime tradita sufficiunt sententiae, ut pravam esse iure dicas Breiteri suspicionem **regna** (Fleckeis. Jb. 1889 t. 139 p. 193 sq.)

2) Pingré t. II p. 304 (ad v. suae editionis 776).

3) Non habet hunc usum Vergilius; sed post Ovidium (cf. Met. I 170 alibi) apud unum quemque fere scriptorem haec consuetudo inveniri potest; cf. ipsius Manilii I 767; German. progr. IV 143, 634 et V 290; Martian. Cap. c. 24 et 30 (in Eyssenhardtii editione p. 11 et 13) etc.

sed de Gaio ac Lucio Caesaribus, Iuliae et Agrippae filiolis, non ita multo ante defunctis, cogitandum est, quibus in galaxia sedes sunt constitutae. Ceterum paullo concinnior esset structura, si ad Divum eodem modo atque ad Quirinum ornans quoddam additum esset epitheton; sed tamen huius inopia nihil nocetur. Velim autem propemodum pro *in coetu* adsit *in caelo*, [1]) ne quantisper mihi opus sit haerere, quidnam ad verba *in coetu* suppleatur. Exspectatur enim in deorum coetu, sed hoc in ea, quam legimus, verborum constructione non tam facile intellegitur quam in coetu signorum. Utrum autem supplendi genus verius censeas, non permultum refert; nam qui aliquo decore egregius est, is deus fit idemque stellis inseritur. Grave vero hic esse et multum valere mihi videtur adverbium *altius*, quo, ni omnia me fallunt, eo spectare poetam conspicuum est, ut circulo lacteo, in quo illustres viri post mortem habitent, altiorem esse dicat sedem deorum. Ecce Romulum et Caesarem non eorum in numero ponit, qui in galaxia locum habent, sed altius [2]) inter ipsos deos fingit versantes. Augustum nondum ibidem, [3]) quo Romulum et Caesarem abisse credit, sedem sibi constituisse ea re indicare videtur, quod illos ab Augusto altius cerni dicit. Quomodo enim sursum spectaret eosque altius cerneret, si iam, uti voluit Freier, mortuus et in ipsa eorum contione esset? Ad vivum ergo imperatorem refero locum litigiosum.

Sed obiciat aliquis, cum a poeta caelum regere Augustus

---

1) codices omnes habent cętu; ę semper pro ae, e pro oe in libris Manilii positum est, quam notitiam Becherto debeo; cf. Thomas l. l. p. 20, qui in codice G scriptum esse dicit **caetu**.

2) In v. 802 toto verborum nexu postulatur **quam** (non **qua**); id autem habet optimus liber G idemque alii boni libri habere videntur: nam Iacobus hanc lectionem in textum recepit neque quidquam de variis codicum lectionibus annotavit. Hoc certum est **quam** non meram esse Bentleii coniecturam, qua opinione captus est K. Rossberg kritische Nachlese zu Dracontius und der sogenannten Orestis tragoedia (neue Jahrb. f. kl. Phil. tom. 119. Lipsiae 1879 p. 475 sq.) Qui apud Manilium legendum putat **qua**, quia Dracontius in v. 326 hunc Manilii locum imitatus sit. At vero alia est utriusque loci structura: Manilius habet **altius quam**; apud Dracontium, cum non habeat comparativum, bene quadrat **qua**.

3) cf. Lanson p. 19.

dicatur,[1]) immortalem iamiam esse neque in terra versari: minime, ut mihi quidem videtur, recte! Etiamsi enim nusquam similia atque eo loco, de quo disputamus, de Augusto tradita essent, tamen ex hoc concludere liceret cum Iove vivum Augustum collatum similemque ei potentiam tributam esse, ipsumque optimum sui interpretem hominem astronomicum ducere deberemus. Accuratius autem inspicias locum. Quoniam Augustus — id quod infra probabitur — dei loco habetur et honestatur, terra quasi est Olympus, ubi habitat; deus Augustus descendit in terras; igitur caelum paene in terris est. Neque vero Augustus per signa regnat, sed regit caelum ex terra; vivit adhuc, sed divina ei est potentia. Habet autem in regendo mundo socium, qui in ipso caelo versatur: hic est Iuppiter, socius per signa tonans. Arte igitur inter se conexa sunt verba *socio per signa Tonante* („der Himmel, den Augustus regiert, indem dabei im Bereich der Sterne Iuppiter sein Genoss ist“); quare comma, quod dicimus, ponatur in v. 800 prae verbo *socio,* ne quis ipsum Augustum per astra tonare dici arbitretur. Simillimus est locus quidam Ovidianus in Met. XV. libri fine (858 sq.); hic quoque socii sunt Iuppiter et Augustus: nam uterque est pater et rector, ut ait poeta, sed Augustus vivit et est in terris, Iuppiter temperat arces aetherias. Cernas autem, ut Manilius rem sibi cogitaverit: supra in v. I 384 sq. ita loquitur, quasi iam astrum Augustus sit; eo loco, de quo modo dixi, non multo minor illa quidem poetae audacia est, cum caeli regnum ad Romanorum imperatorem deferens caelum terramque paene permisceat; sed tamen ita ille caelum regens fingitur, ut dilucide inter vivos versari eum cognoscamus, quoniam in caelo non solus regnat Augustus, sed Iove utitur socio.

1) J. Woltjero (l. l. p. 22) versus 798 sq. libri primi de Augusto mortuo vereque consecrato tantum intellegi posse et contextus et ipsa verba clare docere visa sunt; sed cum in fine huius libri et quarti diserte sermo esset de vivo Augusto, aut hi versus in primo libro postea adscripti essent a poeta mutata tota extrema parte huius loci, aut legeretur reget, cernet necesse esse dixit. Quod nego; negavit iam Huetius. Nullum vitii signum in codicibus reperitur neque ulla usquam manifesta adsunt vestigia, e quibus quidquam in eis partibus, ubi de imperatore verba fiunt, postea mutatum esse consequatur. Teneamus igitur regit, cernit.

Complures de imperatore notiones et cogitationes astrologus videtur imbibisse: etenim est Augustus terrestris imperii rector, idemque iam induit divinitatem pro deoque colitur; ac vel sidus ei est imperator et in caelo quodammodo versatur, ut etiam Olympi rector, i. e. totius mundi, et caeli et terrae, atque Iovis socius vocetur. Videas igitur poetam vere Chaldaeum! Neque tamen multo illud est insolentius, quam si Augustum deorum mitissimum esse in eodemque disticho almam terram eo nihil habere maius dicit Ovidius in Ep. ex P. I 2, 99 sq. Dolemus, quod praeter haec astronomica eorum, qui illa aetate babylonicam artem profitebantur, carmina nulla servata sunt, ut, num alii, qui ab hac secta stabant, de Augusto idem vel simile dixerint, nesciatur. Sed ex aliis monumentis, unde de Augusti aliorumque cultu bene instituamur, similia quaedam, si repetere iuverit, iam vivum illum divinis honoribus affectum et pro ipso Iove aut Sole habitum esse discemus[1]) neque minus inter astra viventi locum datum esse apparebit.

Non a me postulabitur, uti a capite tamquam exorsus, quomodo antiqui eo procedere omnino potuerint, ut hominibus divinos honores inferrent, exponam: adeantur de hac re libri mythologici. Sed iuvat monere illum ipsum, quem originem gentis conditoremque honorabant, Aeneam dico, e Venere et Anchisa ortum arbitratos esse Romanos: quem postea deum sibi fecere, postquam in proelio, quod cum Etruscis fuit, sublatus est. Divina origine etiam Romulus et Remus credebantur: originem autem a Marte deo Romulum duxisse rati facillime eo adduci poterant, ut mortuum ad deos redisse sibi persuaderent. Neque ignoramus Romanis ducibus a Graecis, ad quos non pauca ex earum gentium, quae orientis solis luce illustrantur, venerandorum regum more redundarat, persaepe divinos honores tributos esse.[2]) Age vero Caesarem Pompeio devicto omnes

1) Quod Tacitus ann. 15, 74 (A. U. C. 818, p. Chr. 65) dicit: Nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit, ad solos cives Romanos referendum est; in provinciis prorsus aliter se habebat res; aliterque etiam de poetis et maxime de Chaldaeorum sapientia iudicandum est.

2) De eis rebus, quae huc pertinent, conferendi sunt hi libri: Preller mythol. Rom.; G. Boissier la religion romaine; Desjardins

fere deum revera esse Romani credebant. Utque de ceteris taceam, templum is quidem sibi proprium dicari non sivit, sed in omnibus et urbis Romae et imperii Romani templis imago eius posita divino cultu utebatur. Suum praeterea habebat flaminem, quo haud scio an nullus maior, ne dicam divinior cogitari possit honor. Mortuum deinde inter sidera versari credebant sidusque Iulium appellabant, et senatus consulto cultus ei decretus, ipse divus nominatus est. A Caesare autem ad eos translata est veneratio, qui in imperio succedebant; iam in Vergilii Aen. VI 789 scriptum videas: *Caesar et omnis Iuli progenies magnum caeli ventura sub axem.* [1]) Firmicus Maternus, [2]) ubi de imperatore nihil mathematicis respondendum esse docet, eius fatum, cum sit totius orbis dominus, dei summi iudicio gubernari dicit, et quia totius orbis terrenum spatium imperatoris subiaceat potestatibus, etiam ipsum in eorum deorum numero constitutum esse, quae ad facienda et conservanda omnia divinitas statuerit principalis. Haec igitur quarto p. Chr. n. saeculo scripsit astrologus, qui non fuit poeta. Celerrime enim Romani in divino imperatoribus honore tribuendo progressi sunt. Iam Statius ad Domitianum, quem deum et Iovem esse vult, omnes titulos congerit atque coacervat, qui cogitando effingi possunt. [3]) Is autem, ad quem post mortem Caesaris, a quo coepit ille cultus, delatum est imperium, Octavianus, ubi illius heres factus est, nomen quoque sibi assumpsit Caesaris atque adeo pro Gai filio filium Divi sese nominavit. [4])

---

revue de philol. 1879. III 33 sq. (le culte des Divi et le culte de Rome et d' Auguste); Bouché-Leclerq hist. de la divination; Jo. Dan. Schoepflini diss. hist. de apotheosi sive consecratione imperatorum Romanorum. Argentorati 1729; Marquardt Röm. Staatsverwaltung. tom. III² ed. Wissowa. Lps. 1885. p. 463 sq.

1) cf. Homer. Lat. XIX 901 Quem nisi servasset magnarum rector aquarum, ut profugus laetis Troiam repararet in arvis | Augustumque genus claris submitteret astris, | Non clarae gentis nobis mansisset origo.

2) edit. Basileensis l. II p. 44.

3) Ruedigeri diss. p. 2 sq.

4) cf. Verg. Aen. VI 792 Caesar, divi genus. Divi filius etiam in nummis vocatur Augustus, cf. Cohen Aug. n. 138 et 144 (Mommsen Sitzb. d. Berl. Akad. 1885, p. 72).

Qui supra homines atque in divinos honores ipse elatus est, cum Augustus cognominaretur, [1]) per quod adiectivum res significabantur venerabiles vel plenae maiestatis, quales sunt res relgiosae et sacrae; quo spectant Ovidii verba (Fast. I 608):

Hic socium summo cum Iove Caesar habet.
Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Conferri possunt, quae idem de Hercule, quocum in oratione funebri Tiberius Augustum comparans a Dione (56, 36) fingitur, inter deos relato dicit: *maior videri coepit et augusta fieri gravitate verendus*: igitur haec cum esset verbi Augusti notio, Octavianus, quippe qui iam, dum terras incolit, hoc titulo consecratus augustaque esset gravitate, etiam deus erat. [2]) Huc spectans Vegetius (de re mil. II 5) *imperatori,* inquit, *cum Augusti nomen accepit, tamquam praesenti et corporali deo fidelis est praestanda devotio.* Dionis quoque (56, 40) mihi perpendas locum, quo quod insidias aliquando paratae fuerint Augusto, minime esse dicit mirum, cum ne di quidem ex aequo placerent omnibus. Ac Tiberius in urbe Roma ex senatusconsulto et publico nomine recitans laudationem (Dio 56, 41) hoc dixit: *καὶ τὸ τελευταῖον ἥρωα ἀπεδείξατε καὶ ἀθάνατον ἀπεφήνατε.* Viventem igitur et ut semideum et ut immortalem honestabant Romani Augustum. Qui quamquam non, ut posteriores imperatores, deum se a civibus declarari aut simulacra sua in templis poni iussit, id quod pater fecerat, neque flaminem sibi sumpsit, [3]) attamen non invitus poetas se ut deum salutantes audivit, velut deus nuncupatur [4]) a Vergilio, Ovidio, Horatio. Pulcherrimum laudis Augustae praeconium in Ovidii Met. fine (l. XV) invenitur, quo loco Augustus supra patrem, qui iam Divus et sidus est, tollitur atque cetera Caesaris merita pro eo parvi aestimantur, quod tantum filium reipublicae dederit, quantus sit Augustus. Atque etiamsi Romae Augustus divinos honores reppulit, tamen a ceteris Italiae urbibus et a

---

1) Dio Cass. 53, 16; Suet. Oct. 7.

2) cf. Dionis verba: ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατ' ἀνθρώπους ὤν.

3) Suet. Oct. 52; Nipperdey ad Tac. ann. I 10.

4) exempla petas ex Ruedigeri et Finckei libellis supra dictis.

Graecis aliisque provinciis templa araeque ei erigebantur, ut latius latiusque divina veneratio propagaretur. Quo factum est, ut saepe cum Iove compararetur aut etiam nominaretur Iuppiter in carminibus ac titulis. Satis clare loquitur Ovidius in Met. XV 855 sq. Exprimere vult poeta, quanto maior Augustus sit patre: exempla repetit ab Agamemnone et Atreo, ab Aegeo et Theseo, Peleo et Achille. Sed haec non esse paria addit, cum exemplis ipsos (scil. Caesarem et Augustum) aequantibus se uti velle dicit et Saturnum Iovemque affert: igitur Caesarem et Augustum non in mortalibus, sed in deorum numero ponit, comparat Augustum cum Iove, Caesarem cum Saturno.[1]) Idem poeta aliis locis multis non dissimilia habet exempla. Non parvi praeterea aestimo, quae Suetonius in Octaviani vitae capite 60 narrat, reges amicos atque socios et singulos in suo quemque regno Caesareas urbes condidisse et cunctos simul aedem Iovis Olympii Athenis antiquitus incohatam perficere communi sumptu destinavisse Genioque eius (scil. imperatoris) dedicare.

Et quoniam Iuppiter putabatur esse Augustus, etiam huius insigne, fulmen dico, ei tributum est.[2]) Quod si fieri potuit, certe si socius Iovis appellatur a Manilio, id nihil offensionis habet. Atque eodem iure munus, quo fungitur Iuppiter, ad imperatorem deferri potest. Si igitur rectorem Olympi[3]) eum nominat caelumque ab eo regi dicit, id non est inauditum: nam revera esse et deus et summus deus putabatur imperator, atque etiam exstant loci, quibus vel anteponatur dis.[4]) Ergo quadrant Man. I 914 sq.[5]) perbene in vivum imperatorem. Similem — si omnino in hac re a recentioris aetatis poeta exemplum repetere licet — licentiam esse puto ac si Schiller noster Rudolphum Habsburgiensem, quamquam Germaniae tantum fuit princeps, mundi rectorem

1) cf. etiam Met. I 204.

2) cf. Suet. Oct. 94 et Fincke l. l. p. 18.

3) de Iove hoc dicitur e. c. Ov. Met. II 60.

4) cf. Finckei libellum.

5) quae in Stoeberi editione ad hunc locum afferuntur, sunt falsissima; falso etiam Weber in Corp. poet. Lat. p. 610 de Iove Capitolino precibus quaesito eum interpretatur.

appellat („Herrscher der Welt"). Nec vero credo, quod temporis praesentis forma Manilius, Horatius futuri utitur in c. I 12, id magno pondere esse, namque est iam praesens Augustus, id quod affatim probatum puto, cum deus, tum Iuppiter, ergo mundi et Olympi rector; habet omnium rerum potentiam (Ov. Ep. ex P. II 2, 66) neque mundi finis est finis imperii,[1]) ut Propertius V 6, 14 petere possit, ut, dum Augustus adsit, ipse vacet Iuppiter. Grave etiam est, quod vel divus, dum in vita versatur, Augustus appellatus est (cf. Fincke l. l. p. 15). Iam vero incertus quidam eo processit, ut Neronem principem, in vivis morantem, caeli mentem solisque imaginem adulantium more diceret (carmin. bucol. Einsidlensia Baehrens p. L. m. III num. XIX v. 27). Adversa fortuna fit, ut litigetur de lectione Hor. c. III 3, 12, quo loco multis paullulo verisimilius videtur ab Horatio praesens quam futurum tempus adhibitum esse; legimus sic:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit (var. *bibet) ore nectar.*

Praesens sententiae non nocere concesserunt cum alii tum Herm. Schuetz eis, quae in Horatii editione altera (Berol. 1880) ad hunc locum annotavit, et C. W. Nauck in suae Horatii editionis (Lps. 1885) p. 129. Obloquuntur Fr. Ritter Hor. carm. et epod. Lps. 1856 p. 222 et Kiessling Hor. carm. et epod. Berol. 1884, alii.[2]) Sine dubio praesens verbi forma legitur I 1, 6, quod carmen huc arcessere liceat, siquis concedat vere

1) cf. carm. in laudes Caesaris, quod in Anthol. Lat. part. prior. fasc. 1. p. 272. num. 419 (ed. Riese) legitur: Icta tuo, Caesar, fulmine procubuit, Oceanumque tuas ultra se respicit aras: Qui finis mundo est, non erat imperio.

2) Invita, credo, Minerva hunc locum tractavit Dillenburger (Horat. edit. VII. Bonnae 1871), qui dicit: bibet scripsi .... ne honor qui mortuo deberetur, vivo iam daretur, id quod fieret, si bibit scriberetur; bene vero Mitscherlich in sua Horatii editione Lps. 1800 ad l. III c. 3 v. 11 et 12 sic scripsit: quem in terris adhuc morantem populus Romanus divinis prosequebatur honoribus, hunc poeta εὐφαντασιώτως in caelo cum dis convivantem nectarisque haustu se proluentem exhibet. cf. etiam Fr. Lübker Comment. zu Horaz' Oden p. 334.

nuperrime interpretatum esse verba *terrarum dominos evehit ad deos* Eduardum Anspach.[1]) Quem locum impeditum exacte hic tractare, quoniam a proposito abhorret, hoc annotasse contentus sum, qui terrarum dominos deos esse contendant, eos eo nihil probare mihi videri, quod ex Ovidii epistulis ex Ponto datis (I 9,36) huius deorum significationis exemplum repetunt; namque etiam Octavianum qui vocari potuisse dicet terrarum dominum, quod vult Anspach, certis is testimoniis nitetur: cf. Suet. Oct. 94; Ov. Ep. ex Pont. II 8, 26; et omnino in principum appellatione legitur saepissime hoc epitheton cf. Mart. I 4, 2; VII 5, 5. Stat. silv. III 4, 20 (cf. Fincke p. 31; Ruediger p. 3).[2]) Addo Vergilianum locum (Ecl. 1, 6 sq.), quo Tityrus pastor semper sibi eum, qui otia fecerit, deum fore dicit; illius aram saepe tenerum agnum imbuturum esse. Bucolica autem, quibus hic locus debetur, iam inde ab a. 41 usque ad 39 composita esse concinunt vv. dd. — Eandem fere atque in illis Manilianis versibus rationem repperi in carmine quodam, quod in Stobaei flor. VII 13 legimus idque Birtius non ante Augusti aetatem, sed inter Horatii et Statii fere tempora scriptum esse coniecit in indice lect. hib. Marb. 1888[3]) p. XIII, cui sententiae neminem non subscripturum mihi constat; versus sunt hi:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος
χρυσεομίτρα δαΐφρων ἄνασσα,
σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
αἰὲν ἄθραυστον.

Roma igitur non solum summos deos vertice tetigit, ut ait Ovidius Fast. I 210, verum etiam per ipsum Olympum regnare dicitur; quin immo tonat Roma apud Claudianum (de bell. Poll. 511). Quo si nihil miri neque quod offensioni sit praebetur, non intellego, cur de summo omnium Romanorum, populi rerum potentis (Ov. Fast. I 88), principe, penes quem universa imperandi est potestas et mundi custodia cuique tota Roma paret, Manilio idem dicere non licuerit quamvis vivente. Neque quo maior fiat sententiae meae fides Statianum locum omitto, qui in Thebaidis libro primo invenitur (v. 25 sq.): ubi precatur poeta, ut Domitianus hominum habenis contentus in terra maneat atque sidera donet; non addit, cui donet, sed e verborum conexu consectarium fit, ut ipsis dis concedi dicat imperium caeleste a Domitiano. Quod glossa quoque apertum reddit. Qui autem fieri potuit, ut caeli regnum dis donare diceretur imperator, ni ipsius haec secundum poetae fictionem fuisset potestas? Qui locus non secus se habet atque Manilianus. Crevit igitur summopere verisimilitudo et terrae et caeli siderumque vivum imperatorem sicut Iovem potentem fuisse secundum poetarum blandiloquentiam.

Verum non solum pro Iove honorabatur Augustus eiusque munus dicebatur administrare, sed etiam aut filius Appollinis (Suet. Oct. 94) aut ipse Apollo existimabatur esse eiusque cultu observabatur. Ut in cena quadam, in qua deorum dearumque habitu convivae discubuerunt, ipse pro Apolline fuit ornatus (Suet. Oct. 70), ita in Palatini collis bibliotheca statuam sibi posuerat habitu ac statu Apollinis (cf. Comm. Cruq. ad Hor. epist. I 13, 17 et Anspach. l. l. p. 12): ipse igitur voluit credi Apollo! De nomismatis argenteis, in quorum altera parte Apollo sedens conspicitur, et ascripta sunt verba *Caesar, Divi F.* videas Burmannum ad Suet. Oct. 94. De eo, qui in Verg. Ecl. (IV 10) exstat, loco, supra exposui (p. 16). Observes autem Augustum cum iam ante Actiacam aleam Apollini eximie devotum fuisse (cf. Eckhel VI 108), tum postea eum ut domesticum honorasse (cf. Ov. Met. XV 865).[1]) Huic enim deo in ora Actia templum dedicatum erat

1) Eduard Anspach die horazischen Oden des ersten Buches in Bezug auf Interpolationen, Aufbau und Zeit ihrer Abfassung; Progr. Cleve 1888; cf. eiusdem de Horatio commentationem neue Jahrb. f. Phil. und Päd. von Fleckeisen und Masius, Lpz. 1888. Bd. 137. Heft 5. p. 385.

2) Hoc animadvertendum est, si quis Anspachium sequatur, eum tamen compositionum, quas statuit Theodorus Reichardt (de metror. lyr. Horat. artif. eloc. Marb. 1889) alteri formae versum terrarum dominos evehit ad deos attribuere posse, quia etiam in illius interpretatione respondent inter se dominos et deos, etsi dominos non est adiectivum neque appositio; cf. Reichardt p. 4 et 5.

3) De Romae urbis nomine deque robore Romano commentariolus,

1) De crescente sub Augusti auspiciis Apollinis cultu vid. Prelleri myth. Rom. I³ 307.

et ipse audiebat Actius, cf. Verg. Aen. VIII 704. Phoebus autem, solis et lucis deus (Φοῖβος, φάος), in luce genitus est (λυκηγενής, λύκη – lux) et pro Phoebo vel Apolline Solem quoque dicebant Romani. Apollinem autem si Augustum putabant esse, nihil sane erat, cur non Solem eundem et ducerent et dicerent; ac propitia hercle accidit fortuna, ut ne huius quidem moris exemplis destitutus sim. Horatii enim in meas partes licebit vocare l. IV c. 5, quo summa veneratione ac pietate Augustum prosequitur. Fingit ibi, quamdiu imperator a patria absit, tamdiu deesse solem nitentem, qui veris instar populo affulgeat; praesente vero Caesare maiorem esse dierum serenitatem, recreari solem, nitorem augeri. Audire placeat olorem ipsum sic canentem:

L u c e m redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim voltus ubi tuus
A d f u l s i t populo, gratior it dies
Et soles melius nitent.

Sol igitur reipublicae est Augustus, civium lux. Quocum loco compares Hor. c. IV 2, 46 sq., ubi recepto Caesare *pulcher* dicitur Sol.[1]) Non minus suavi adulatione Honorium principem et Solem inter se iungit Claudianus de VI consulatu Honorii v. 537 sq.: *Ipse favens... aer... Principis et Solis radiis detersa removit Nubila,* quorum verborum e contextu elucet sicut Soli ita Principi poetam attribuisse radios. Et quae alias propria Solis laus est, ut nubila caelo dispellat,[2]) haec apud Claudianum Honorio Solique est communis. Eodemque modo cum sole inardescente radiisque fulgente comparatur ab Ovidio Octavianus, in cuius trist. l. II v. 323 haec sunt:

Denique cum meritis impleveris omnia, Caesar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.

---

1) cf. Ov. a. a. I 213 qui alloquitur Augustum p u l c h e r r i m e r e r u m et Lucan. phars. I 48 m u t a t o s o l e.

2) cf. A. Riese Anthol. Lat. 1869 part. prior. fasc. I. p. 250 num. 389 in laudem Solis. — Respiciendae praeterea erunt comparationes imperatoris cum Sole, quas apud eos legimus qui *περὶ βασιλείας* scripserunt, cf. Dion. Chrysost. I p. 51. III p 125, 126, 128, alibi; talia collegit Gottlob B a r n e r comparantur inter se Graeci de reg. hom. virt. auct. Marburgi 1889.

Utque trahunt oculos radiantia lumina Solis,
Traxissent animum sic tua facta meum.

Et quod de Romulo inter deos recepto ab Ovidio (Met. XIV 827) praedicatur, *pulchra subit facies et pulvinaribus altis dignior,* hoc de spirante Augusto non semel dicitur: hic circumfusus est quodammodo luce ac fulgore; etenim *purpureo,* ut ait Horatius (c. III 3, 12), *bibit ore nectar,* ad quem locum recte Kiesslingius annotat: „purpureo ore geht nicht auf die Farbe, sondern auf den schimmernden Glanz des Purpurs: es malt also den verklärten Glanz der Göttergestalt, das lumen inventae purpureum (Verg. Aen. I 590)". Suetonii (Oct. 95) quoque locum apponam, qui hoc tradidit: *Post necem Caesaris reverso ab Apollonia et ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem caelestis arcus orbem solis ambiit* etc., quibus respondent Velleii haec (II 59): *cum intraret urbem, Solis orbis super caput eius curvatus aequaliter rotundusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est.* cf. Dio 45, 4. Talia fama et litteris de Augusto tradebantur.[1])

Ex eis quae dixi satis intellegitur Augustum (aliosque imperatores) non cum Sole comparatum tantum, sed etiam dictum esse Solem.

Si autem sol vocari adsuevit Augustus, cur astrum eundem in caelo fingere non debuerunt sive omnino poetae sive soli astrologi? Quam in rem inquirentibus proderit titulus quidam Phylis servatus, quem typis expressum invenias in Letronnii recueil II p. 343 (cf. Prelleri myth. Rom. II 429) et in Epigr. Graec. ed. G. Kaibel Berol. 1878, 978 et in Anthol. Palat. Paris (Firmin-Didot) 1890. vol. III append. c. 1, Nr. 159: *Καίσαρι ποντομέδοντι καὶ ἀπείρων κρατέοντι Ζανὶ, τῷ ἐκ Ζανὸς πατρὸς, Ἐλευθερίῳ, δεσπότᾳ Εὐρώπας τε καὶ Ἀσίδος, ἄ σ τ ρ ῳ ἁ π ά σ α ς Ἑ λ λ ά δ ο ς, ὃς σωτὴρ Ζεὺς ἀνέτειλε μέγας* etc. Qui titulus utrum ad annum a. Chr. n. 15 an 10 an 7 pertineat, hic nihil refert; certe

---

1) Silentio praeterire nequeo cum sole non imperatores tantum comparari potuisse, sed cf. e. g. Hor. sat. I. 7, 23 et Kiesslingii adnotationem. Neque fugit me propriam verbi lucis lucendive vim obscuratam saepe esse sicut Graeci *λαμπρότητος*, cf. Dio 53, 18 *τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα.*

Augusto vivo positus est. Tropice quidem locutus est Ovidius, cum Fabium Maximum, quia nomen eius clarissimum habebatur, Fabiae gentis sidus appellaret (Ep. ex P. III 3, 2), atque rem dilectam saepius sidus nominabant Romani, velut Prop. II 3, 14, quo loco puellae oculi poetae pro sidere sunt; non minus etiam Graeci vocabuli ἀστὴρ genuina vis nonnumquam nescio quo pacto prorsus fere videtur perisse [1]) et omnino non raro et homines et res cum stellae splendore comparantur, [2]) quamobrem singula exempla accurate spectanda et temptanda sunt. Sed in eo titulo, quem supra attuli, non figurate dictum est, neque enim neglegi debet poetam loqui: imperatorem *ortum* esse sidus totius Graeciae; neque igitur illud *ἄστρον* solum, sed etiam verbum *ἀνέτειλε* grave est nec levi momento debet aestimari. Quoniam autem in titulo publico Octavianus ante excessum significari potuit ἄστρον Ἑλλάδος... ὃς ἀνέτειλε, quanto magis poeta atque is quidem astrologus arreptus impetu cogitatorumque velocitate cum vulgi, tum Chaldaeorum de Augusto notiones secutus fingere sibi potuit vivum imperatorem inter astra versari atque inde sortes Romanas regere, praesertim cum in templis inter deos eius simulacrum esset. [3]) Huc cum aliqua verisimilitudine referas quod Germanicus de mortuo Octaviano (Arat. 558) versus facit hosce:

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitus inter gentes patriamque paventem
In caelum tulit et maternis reddidit astris.

Astrum igitur debet fuisse Augustus antea, descendit de caelo, fuit astrum etiam dum Romanorum imperator fuit, metis autem vitae relictis „redditur“ maternis astris (cf. Hor. c. I 2, 45 *serus in caelum redeas*, et Verg. Gg. I 32). Sidera genti Iuliae cognata sunt (Met. XV 839), et cum pater astrum sit, quidnam omnino miri, si filius eodem honore dignus putatur; cf. Ov. Met. XV 850 *stella micat natique videns benefacta fatetur Esse suis maiora et vinci gaudet ab illo,* quo in loco, ni omnia me fallunt, proprie dicitur Octavianus *stellae filius.* Quod non multo secus est atque si Divi filius vel Divis ortus (Hor. c. IV 2, 37) vivus Augustus appellatur, ut ipse quodammodo iam Divus sit ante mortem (Fincke p. 15 sq.). Alicuius auxilii ad fovendam illam opinionem fuisse etiam potest, quod erat in foro simulacrum Caesaris consecratum, cuius capiti sidus adiectum erat (Plin. nat. hist. 2, 94). Quid vero? Atia, Octaviani mater, priusquam pareret, nonne somniasse tradita est intestina sua ferri ad sidera explicarique per omnem terrarum et caeli ambitum! Somniavit autem et pater Octavius, utero Atiae iubar solis exortum. Quod prodidit Suetonius Oct. 94, ex quo eandem fabulam in suum opus videtur transtulisse Dio (45, 1 ἥλιον ἀνατέλλειν ἐνόμισεν). Suetonius autem in Asclepiadis Mendetis, de quo nihil adhuc innotuit, theologumenon libris se eam legisse dicit: ex hoc testimonio iterum confirmatur talia de Augusto non solum fabulatos esse, sed etiam litteris mandasse eos, qui divinitatem illi astruerent. Atque quo maiorem opinioni meae fidem addam, non indigni, quos afferam, sunt versus qui in initio Thebaidis Statianae leguntur (22 cet. iam supra laudati), ubi de Tito dicit poeta ita fere: „licet omnes stellae se contrahant, ut tibi locum faciant quem volueris: licet sol velit te magis implere diei curricula et tibi cedat officium suum aut tecum Iuppiter aequa parte caelum partiri desideret, tamen melius tibi erit terra regnare quam caelo: et sis terrae vel maris dominus et superis caeleste dones imperium.“ Tiliobrogae, quae in eius editione Parisiorum Lutetiae a. 1610 emissa legitur, Statiani loci interpretationem apposui, ne quis poetae verba in meum usum a me detorqueri putaret. Quomodo autem sodes dicere potuit Statius solem cupere officium imperatori cedere, nisi ipsum imperatorem eodem lumine fulgere cogitabatquo solem et astra! Hinc est, quod poeta v. 27 sq. dicit:

---

1) cf. e. g. Anthol. Palat. VII 21.

2) cf. e. g. Hymn. Apoll. 1, 774; Il. V 4; VI 295; XIX 382. Walz rhet. Graec. III p. 551, multisque aliis locis tales licet invenias comparationes.

3) cf. etiam epigrammata quae in Anthol. Palat. ed. Duebner I 669 et 670 (p. 402) scripta sunt:

ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός. Εἴθε γενοίμην
Οὐρανός, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.
ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν Ἑῷος·
νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alte (var. *late*) *radiantem crinibus arcum*
Imprimat,

ad quae verba annotat Barthius [1]) „ut solis instar tute et ipse luceas sisque alter in caelo sol....“ Ovidius vero iam vivo Augusto sidera pacta fuisse affatim eis patefecit, quae in Trist. V 49 sq. pronuntiavit: *sic ad pacta Tibi sidera tardus eas!* Ac summo mihi fore subsidio in ea quam quaerimus re exspecto Claudianum, qui sine dubitatione Honorium nuncupat imperii sidus, quod sit ab ipso Zodiaco in sua sede collocatum. Ipsius sententia, quae sat mihi videtur conspicua, haec est (de VI cons. v. 18 sq.):

Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata.....
Haud aliter Latiae sublimis signifer aulae (i. e. Zodiacus)
Imperii sidus (i. e. Honorium) *propria cum sede locavit*
Auget spes Italas. [2])

Paullo infra Honorium consulatu fungentem deum appellat Claudianus v. 25 sq. Idemque (de IV. cons. Honor. v. 570) a militibus dicit portatum esse *sidereum onus:* hoc autem onus, quod gestant milites, non est consecratus, sed vivus imperator Honorius, cuius sacra ab omnibus frequentari poeta dicit in v. 577. Iam laud. Seren. huc afferre non vereor vv. 46 sq.

Necdum moderamina mundi
Sumpserat illa domus, cum te (scil. Serenam) *Lucina beatis*
Adderet astrorum radiis;

quo loco Birtius unanima bonorum codicum auctoritate nisus restituit *adderet.* Ergo Serena ubi nascitur additur astris. Ecce gens astrorum in terra! Minorem vim tribuo Suetonii loco (Cal. 13) qui *sidus* dictum esse confirmat Caligulam. Qui imperium adeptus *cum a Miseno profectus Romam peteret, inter altaria,* ut ait ille, *et victimas ardentesque taedas densissimo et laetissimo obviorum agmine incessit, super fausta omina* (var. *nomina*) *sidus et pullum et purum et alumnum appellantium.* Quae

[1]) C. Papirii Statii quae exstant, ed. Caspar Barth, Cygneae 1664.
[2]) cf. Gesneri notam.

utrum pro ludibrio an pro blandicellis dicta sint, dubitare possumus. Sed prodeant et carmen quoddam ex Anthol. Lat. ed. Riese 376 (Florentini in laudem Thrasamundi regis) v. 4 sq.,[1]) ubi de rege dicuntur haec:

toto sed clarior orbe,
Sed radiante micans cunctis supereminet astris!

et Statius, qui astrum dicit Domitianum ita loquens (silv. I 1, 55):

Hic domini numquam mutavit habenas
Perpetuus frenis, atque uni serviet astro

(i. e. Domitiano); quibus similia sunt haec: (silv. I 1, 103)

tua sidereas imitantia flammas Lumina.

Dolebis autem fortasse mecum, quod ad argumenta trahere non licet ex astronomicon libro II v. 507 sq.:

contra Capricornus in ipsum
Convertit visus; quid enim mirabitur ille
Maius, in Augusti felix cum fulserit ortum.

Nam quoniam oriendi verbum et de astris fulgere incipientibus et de hominibus in lucem editis usurpabatur, in incerto relinquendum est, utrum aliqua allusio insit, qua qui legunt de astro Augusto, quod orbis Romanus acceperit, commoneantur necne.

Sed quamquam cuivis perspicuum esse credo me in eis, quae de imperatore quasi *astro* a Romanis culto exposui, a vero non deflexisse, tamen alia indicia nonnulla non vetabor cumulare, quibus paullo magis adminiculari rem nostram concedes. Neque enim illud intactum relinquam, quod inde a C. Iulio Caesare Romani menses, qui suo quisque deo vel deis sacrati erant, imperatorum nomine appellare coeperunt. Mensis Quintilis Iulii nomen accepit et simili modo Sextilis in honorem Augusti eodem nomine appellatus est, quia hoc mense primum ille consulatum inisset eodemque finis impositus esset bellis civicis.[2]) Habemus de mensibus carmina tria ignoti cuiusdam auctoris,

[1]) cf. Anth. vet. Lat. epigr. et poem. edit. Burmannianam dig. et auxit H. Meyer Lps. 1835 t. I p. 121 Nr. 290.
[2]) Macr. sat. 1, 12 in Eyssenhardtii editione 1868 p. 65; Suet. Oct. 31.

quae prope ad Augusti tempus accedere statuit Baehrens p. L. m. 1, p. 201 sq. Quorum in tertio haec (v. 15 sq.) legas:

Quam bene, Quintilis, mutasti nomen: honori
Caesaris, o Iuli, te pia causa dedit.
Tu quoque, Sextilis, venerabilis omnibus annis
Numinis Augusti nomina magna geris.

C. Iulius Caesar optime de anni modo definiendo eiusque spatiis disponendis meritus erat;[1]) praedicatur ob hoc ab Ovidio Fast. III 155 in hunc modum:

Sed tamen errabant etiam nunc tempora, donec
Caesaris in multis haec quoque cura fuit.
Non haec ille deus tantaeque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis:
Promissumque sibi voluit praenoscere caelum:
Nec deus ignotas hospes inire domos etc.

Artissima autem cum sit ratio, quae inter menses et sidera intercedat (cf. Verg. Gg. I 32), illam opinionem, qua Augustum astrum esse crederent, foveri potuisse quis est qui neget? Eodem mihi persuaserim pertinere, quod quaedam Italiae civitates diem, quo primum ille ad se venisset, initium anni fecerunt (Suet. Oct. 59). Illud quoque in argumentorum seriem immittas, quod Augustum mercatores et nautae ut tutelarem deum invocabant. Templum enim magnificentissimum Alexandriae constitutum erat, ubi ut tutor maris et mercaturae patronus coleretur Augustus (Philo leg. ad Gaium p. 567; Preller Myth. Rom. II p. 429 et 449). Subit me eorum nummorum quoque recordatio, in quibus in dei oceanum tutantis similitudinem pictus est:[2]) fuit igitur nautis laetum signum. Hac autem re unicuique Castoris et Pollucis facile excitatur memoria, qui et ipsi nautarum in fluctibus versantium putabantur esse opitulatores, atque hi quidem caelo illati habebant locum inter astra.[3]) Horatio Castoris memoria surrexit Augustum inter penates a Romanis enumerari sic dicenti (c. IV 5, 33 sq.):

1) Annum igitur temperavit, id quod Iovis proprium munus est, de qua re, ut alios omittam, cf. Hor. c. I 12, 15: qui mare ac terras variisque mundum temperat horis.

2) Eckhel IV p. 45.

3) cf. Hor. c. I 3, 2 fratres Helenae, lucida sidera.

Te multa prece, Te prosequitur mero
Defuso pateris, et laribus Tuum
Miscet numen uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Idem cum Polluce componit imperatorem c. III 3, 9 sq. Prima vestigia, quibus ad cultum Augusto ut Oceani patrono dedicatum ducamur, iam in Verg. Gg. I 29[1]) apparent, ubi de principe inter deos marinos recipiendo quasi vel maioris auctoritatis et superior Augustus futurus sit ipso Neptuno et ceteris maris deis, dicit poeta: *an deus immensi venias maris ac tua nautae Numina sola colant;* eodem accedant, quae apud Horatium (c. IV 5) leguntur: *Pacatum volitant per mare navitae:* etenim pacati oceani gloria attribuenda est Augusto. Eximias in eundem laudes Puteolanum forte sinum praetervehentem vectores nautasque de navi Alexandrina congessisse tradit Suetonius (Oct. 94) tura libantes dicentesque *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis frui.*

Paucissima praeterea habeo, quae addam de astri cultu. Subveniunt enim mihi illi et nummi et lapides,[2]) in quibus ad speciem Iovis fingitur Augustus atque fulminis vel stellae signo aut corona radiata exornatus est, cui et ipsi inest quaedam stellarum imago[3]) propriumque hoc olim deorum fuit insigne. Iam pater olim Octaviani Suetonio teste (Oct. 94) videre visus erat filium mortali specie ampliorem, *fulmine et sceptro exuviisque Iovis O. M. ac radiata corona* condecoratum, acteneс fortasse memoria ipso sole quodammodo imperatori *coronam* imponi visam esse Velleio (cf. supra p. 45). Quam coronam divinitatis famam ascivisse ex eo intellegimus, quod ob id ipsum ea uti voluit Caligula.[4]) Vise etiam mecum

1) Gg. I 32 imitatus est Claudianus de III cons. Honorii v. 170 sq. simili siderum imagine usus.

2) cf. etiam Sil. Ital. XIII 862, ubi, postquam de Pompeio Magno dictum est, de Octaviano haec scripta legimus: illo deum gens stelligerum attollens apicem Troianus Iulo Caesar avo etc.

3) Corona radiata aliquot erectis acuminibus instar radiorum ornata erat.

4) Philo leg. ad Gaium p. 559; Schoepflin l. l. p. 93.

Lucani locum, qui exstat VII 457, nostram ad rationem utilem et accommodatum, ubi non de Caesare solo ille cogitabat, cum sic scriberet:

> *bella pares superis facient civilia divos:*
> *Fulminibus manes radiisque ornabit et astris*
> *Inque deum templis iurabit Roma per umbras.*[1])

Atque quod Capricorno nummos signandos curavit Octavianus, ad illam opinionem, de qua disserimus, et confirmandam et propagandam nonnihil id contulisse putaverim. Iam Suetonius, cum de Nerone agit, memoratu dignum censet Romam eo curru, quo Augustus triumphasset, ingredientem veste purpurea distinctaque *stellis aureis* clamide cum ornatum fuisse (c. 25). Haec legenti in memoriam venit earum figurarum, quae in thorace illius statuae Augusti caelatae sunt, quae Primae Portae reperta est: invenitur ibi Caelus deus, invenitur etiam Sol; cf. Baumeister Denkm. d. kl. Alt. t. I p. 228. In eodem genere ponendum arbitror, quod C. Plinius Caecilius Secundus in panegyrici Traiano imperatori dicti c. 80 haec habet: *o veras principis atque etiam dei curas reconciliare aemulas civitates tumentesque populos non imperio magis quam ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit, postremo velocissimi sideris more omnia invisere, omnia audire et undecumque invocatum statim velut numen adesse et assistere!*[2]) Comparat igitur Traianum cum sidere velocissimo atque id quidem, dum vivit; haec paullulo tantum minor est audacia quam ea, qua Manilius Augustum *sidus* dicit: sed hic est inter astrologos, quos, ut supra commemoravi, suas fortasse rationes in imperatoris adulatione secutos esse veri non est dissimile. Quod vero Ovidius Trist. V 10, 45 sq. dicit:

> *O duram Lachesin quae tam grave sidus habenti*
> *Fila dedit vitae non breviora meae,*

non inepte explicari haec verba, si omnino de natalicio sidere interpretes accipiunt, negare non possum, nec tamen aliam in-

[1]) cf. ea, quae ad hunc locum annotavit C. F. Weber Luc. Phars. Lps. 1829 p. 211.

[2]) Baehrens XII paneg. Lat. Lps. 1874 p. 75.

terpretationem commendare vereor. Quid enim, si subobscure ad *sidus Augustum,* quod sibi iniquum esset, alludere voluisse poetam audebo statuere? Augusti enim numen offensum erat, ut in eiusdem elegiae fine ipse Ovidius docet. Hoc modo interpretatum, cum satis commoda evadat sententia multoque quantum perspexi elegantior quam priore explicandi genere, metam me attigisse spero.

Denique illud ad dilucidandam nostram opinionem facere possit quamvis leve momentum, quod ex Antoninorum aetate moris erat, ut et ante imperatorem et ante imperatricem, quotiescumque in publicum prodibant, ignis portaretur ut quasi quidam symbolus (cf. Preller Myth. Rom. II 441). Verecundia autem pietateque illum ex Matthaei euangelio locum repetere prohibeor, ubi Iesu Christi adventum per stellam eius (*εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα*) magis indicatum esse legimus.[1])

Quae omnia si cum eis, quae mihi certissima testimonia visa sunt, iterum iterumque pensitaveris, dubium non erit, quin Augusto vivo astrum et ab astrologo, de quo disputamus, et ab aliis, apprime poetis, applicatum dicatumque sit recteque ego istos Manilii locos supra de vivo imperatore interpretatus sim. Quodsi sideris instar imperatorem Romani honorabant, intellegi potest, cur eum solum stellarum cursibus non subiacere putaverint.[2]) Neque iniuria, cum ne hunc quidem cultum repudiasset Augustus, nihil deorum honoribus relictum esse multi sermocinabantur post eius excessum.[3]) Addo Germanorum imperatoribus, qui Romanos exceperunt, similes nonnumquam honores illatos esse a poetis non sine Romana aliqua imitatione: Walther quidem dictus Vogelweidensis Austriacum regem cum sole conferre non dubitat.[4]) Unde pendere putem, quod in imperatorum insignibus, quae dicimus, iuxta ipsum imperatorem et solem et lunam, quae prodant maiestatem ac divinitatem, cusa invenimus.[5])

[1]) Matth. 2, 1 et 9 et 10.

[2]) Firm. Mat. ed. Basil. p. 44.

[3]) Tac. ann. 1, 10.

[4]) cf. Uhlands Schriften zur Geschichte der Dichtung und Sage. Bd. V. Stuttgart 1870. Walther v. d. V., ein altdeutscher Dichter, p. 32.

[5]) Winkelmann Philipp v. Schwaben u. Otto v. Braunschweig II

Moleste autem ferimus, quod fortuna carmina illa, quae in Augusti et Tiberii honores Tomis Ovidius composuit, aetatem ferre non sivit:[1]) in his enim nonnulla a Manilianis Augusti laudibus non abhorrentia fuisse haud iniuria, opinor, aliquis suspicetur.

Quae cum ita sint, eis Manilii locis, quos supra tractavimus, eo devenimus, ut astronomicon priores quattuor libros Augusto vivo conscripta esse censendum sit. Et ne in quinto quidem libro quidquam certi vestigii inest, quo ad Tiberii aetatem duci debeamus. Neque enim quisquam hodie cum Iacobo interpretabitur v. V 513 sq.:

Hinc Pompeia manent monumenta triumphi
Non exstincta acie, semperque recentia flammis
Et Mithridateos vultus induta tropaea.[2])

Certissimum est in codicibus hos versus perverso ordine perhiberi, recteque verba *Et quod erat regnum, pelagus fuit; una malorum,* quae post v. 513 in manuscriptis leguntur, post v. 542 videtur collocasse Iacobus. Qui praeterea pro *lues,* quod traditur, in v. 514 emendat *acie;* per *aciem* autem bella civilia vult significari, quae theatro Pompei — ita enim *Pompei monumenta* intellegit — nihil obfuerint; quod flammis non semel absumptum et sub Tiberio restitui coeptum esse. Tiberii igitur laudes hic praedicari. Concedamus paullulum veram esse illius coniecturam *acie:* tamen non necesse est Tiberianae aetatis allusionem sumamus. Etenim Augustus quoque ut aedes sacras vetustate collapsas (Suet. Oct. 30; Mommsen res gestae d. Aug. 1883² p. 86), ita Pompei theatrum restituit, id quod e monumento Ancyrano (lat. 4, 9 et graec. 10, 14, 15) apparet (cf. Iebb l. l. p. 139): *Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Καπιτώλ(ιο)ν καὶ τὸ Πομπηίου θέατρον ἑκάτερον τὸ ἔργον ἀναλώμασιν μεγίστοις ἐπεσκεύασα ἄνευ ἐπιγραφῆς τοῦ ἐμοῦ ὀνόματος*

208. Wilmanns Leben und Dichten Walthers, Bonn 1882 p. 107, 244, 441. Suet. ed. Reifferscheid 66.

1) cf. Teuffel hist. litt. Rom. § 250.

2) cf. Progr. Lubec. 1836 p. 13 sq.

(Mommsen l. l. p. LVIII et LXI et 83). Quo tempore hoc refecerit Augustus nescimus, sed probabiliter Zumptius ad annum 745 Capitolii reparationem rettulit ac fortasse eadem tempestas etiam Pompei theatrum devastavit, cf. Theod. Bergk Augusti rerum a se gestarum ind. cum graeca metaphrasi Gott. 1873 p. 65. Itaque si de theatro Pompei flammis deleto versus allatos interpretaremur, tamen non de Tiberio esset cogitandum. Recte autem Woltjer l. l. p. 23 et 24 demonstravit, poetam ibi eorum opera intellegere, quos artifices auri dicat v. 507, qui mille figuris vertere opus possint etc.; hinc de augustis muneribus in sacratis templis expositis loqui, non de templis ipsis nec de theatris. Versum denique 514, qui certe in hunc locum quadrare non videtur, cum Bentleio is putat eiciendum esse; sed mihi nata est suspicio nescio quo casu e primo in quintum librum delatum eum esse, sic ut suo loco reddendus sit (I 889 sq.):[1])

lassus defecerat ignis:
Non exstincta lues, semperque recentia flammis
Et coacervatis ardebant corpora membris,
Ac tanto quondam populo vix contigit heres.

Praeter locum modo explicatum quandoquidem nulla in quinto libro invenitur sententia, unde de aetate quidquam concludas, etiam hic sub primo imperatore scriptus et editus esse potest, sed concedemus poeta in scribendo hoc libro versante fortasse mortuum esse Augustum. Sed haec quidem hactenus!

Nunc Augusteae aetati astronomicon libros deberi quoniam exploratum nobis visum est, id quoque est conandum, num suo quemque anno tribuere possimus: qua in re ad imitationes Ovidianas confugiendum est.

Si epitheta et locos similes, quos apud Ovidium et in astronomicon libro primo legimus, intuebere, nonnullos ad priora Ovidii carmina adsonare apparebit;[2]) longe plurimas voces sententiasque, quae aliquam prodant similitudinem, ex Metamorphosibus Manilius assumpsit. Fastorum imitationem

1) Aliter hunc locum tractat Breiter Neue Jahrb. f. Phil. und Paed. 1889 t. 139 p. 860.

2) cf. Cramer l. l.

certam cognoscere nequimus atque dubiam mihi videtur habere probabilitatem Freier, cum astronomicon primi libri versus finales e Fast. I 701, 702 fluxisse nobis persuadere vult (p. 64 et 65): neque enim Fastis ullo modo similiores sunt quam Vergilii versibus Aen. I 293, ad quos non minore probabilitate Maniliani referri possunt. At si quis Trist. I 4, 1 (I 3, 103)[1]) Manilio versum I 419 pangenti notum fuisse colligat, haec quoque carmina eum iam inspexisse concedo, sed primus liber solus aliquo numero sit. Nam si qua res in ceteris libris invenitur, quae concentum aliquem praebet, aut iam in prioribus Ovidii operibus eadem vel similis quaedam exstat, quae Manilio exemplo fuisse possit, aut minime efficax est, velut si Germania fera dicitur a Manilio I 899 et in Ov. Trist. IV 2, 1 et in Ep. ex P. II 8, 39, nulla est vi, quia iam antea idem apud Horatium (Epod. 16, 7) legitur. Neque repugnat meae sententiae ille qui est de Orpheo locus (I 325 sq.):

Lyra .. qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu manesque per ipsos
Fecit iter domuitque infernas carmine leges.
Hinc caelestis honos similisque potentia causae:
T u n c s i l v a s e t s a x a t r a h e n s, n u n c s i d e r a d u c i t.

Namque huius simillimus etsi Trist. IV 1, 17 exstat *cum traheret silvas Orpheus et dura canendo saxa,* tamen iam in Met. XI 1 non minus similis est locus, cui Manilius artius se adiungere potuerit:

Carmine dum tali silvas animosque ferarum
Threïcius vates et saxa sequentia ducit;

cf. quoque v. 41 et a. a. 3, 321:

Sacra ferasque lyra movit Rhodopeïus Orpheus
Tartareosque lacus tergeminumque canem.

---

1) Man. I 410 nec clarius astrum | Tingitur Oceano; eodem loco Ov. Trist. I 4, 1 (I 3, 103): Tingitur Oceano. Latinis exemplo videtur fuisse Il. VIII 485, qui incipit ab: ἐν δ'ἔπεσ' Ὠκεανῷ. Quod ad elocutionem, quae est Oceano tingi, attinet, sat saepe invenitur: Verg. Aen. I 745 Oceano se tingere soles; VII 811 tingeret aequore plantas; Ov. Met. II 530 tinguntur in aequore; praeterea Met. II 172. XI 455. Fast. VI 717 (radios ubi tinxerit undis).

Itaque Manilius suum versum pangere potuit memor eius loci, qui in Metamorphosibus exstat, neque statuamus necesse est eum Tristium quartum librum inspexisse, qui anno 11 et priore anni 12 parte compositus eiusdem anni 12 aestate vel autumno Romam videtur perlatus esse (Cramer l. l. p. 4 not. 1). Quaproptér etsi Cramerum, primi libri versum 329 argumento esse arbitratum initium huius libri anno 12 fictum esse, cum Tristium l. 4. carmina in recenti poetae memoria essent, certis argumentis refellere nequeo, tamen necessitatem huius arbitrii possum negare. Quod autem ex Ponticis epistulis deprompsisse videretur poeta, nihil omnino in primo libro inveni. Iam consentaneum est[1]) priores Tristium partes Roma profectum in ipso itinere Ovidium confecisse singulosque libros misisse in urbem, ubi celeriter divulgarentur, ut quamquam, quo fere tempore primam manum astronomicis noster imposuerit, aliunde inscii sumus, nulla imitatio obstet, quominus iam a. 10 et paullo post eum primum librum condere potuisse statuam. Nam primum Tristium librum, quem quo tempore ipse carmen concinnare vel potius *edere* coepit, a Manilio lectum volumus, iam priore anni decimi parte Romae inspiciendi potestas fuit. Quae cum ita sint, non timendum mihi est, ut particulam *modo* in Man. I 898 (p. 11 et 12) non falso interpretatus sim.

Alterum librum multo post primum conscriptum esse statuere Ovidianis locis, quos Manilius imitabiles sibi elegit, non cogimur. Nam in hoc sicut in primo libro priora modo Ovidii carmina imitatus est ac postremus huius poetae libellus, cuius similis locus deprehendatur, primus aut si in v. 485 *(ut principe dignum est;* Ov. Trist. II 133 *ita principe dignum)* astronomum Sulmonensis vatis imitatorem esse putamus, secundus Tristium liber est. Ex iis libris, qui post hunc in lucem emissi sunt, nondum noster videtur cepisse haustus. Neges enim v. II 142 *(et gaudente sui mundo per carmina vatis)* cum Ovidii Ep. ex P. IV 8, 43 *(Nec tamen officio vatum per carmina facto)* adeo congruere, ut Manilii versum iure possi-

---

1) cf. Teuffelii hist. litt. Rom. § 250; in quinta editione edita esse exponitur Tristium l. I in itinere vere a. 9, l. II sub finem a. 9, l. III a. 10, l. IV initio a. 11, l. V initio a. 12.

mus dicere imitatorium. Quae denique Freier l. l. p. 61 et 62 in comparationem vocavit, exigui pretii sunt ex eisque epistulas e Ponto datas astronomica condenti praesto fuisse falso concludit: nam utriusque poetae versus parum inter se consentiunt, quam ut sua alterum alterius verbis assimulasse merito queas monstrare. Similis quidem imago a flumine sumpta ac Man. II 10 *(amnemque in tenues ausa est deducere rivos)* iam in Met. legitur V 435 *pectoraque in tenues abeunt evanida rivos;* Ep. ex P. II 5, 22 *et e rivo flumina magna facis.* Item ut in dubio relinquam, utrum Manilii scribentis II 107 in animo haeserint infixi Fast. VI 6, 5 et 24 necne, quia similiter in Met. VIII, 73 *(sibi quisque est deus),* scriptum videas ita in versu II 49 *(doctae cecinere sorores)* Manilium Fast. VI 811 *(doctae assensere sorores)* secutum esse infitior respiciens Met. V 255 *(doctas sic est affata sorores).* [1]) Atque etiam Man. II 3 *(Hectoreumque facit tutamque sub Hectore Troiam)* et Ovidii Ep. ex P. IV 7, 42 *(dicitur Hectoreas sustinuisse faces)* rationem habendam esse in imitationibus statuendis nego. Nisi quos codices secutus Weber l. l. p. 610 scribit *tutam subque Hectore Troiam,* omnes ita Manilii versum exhibent, ut modo attuli. Quae lectio cum nullo sensu sit, iam ante Scaligerum vv. dd. *Hectoreamque facem* emendaverunt (cf. Man. V 301 *Hectoris ille faces*), et Iacobus scribit *Hectoreasque facis.* Qua emendatione plerisque probata similitudo efficitur cum Ov. Ep. ex P. IV 7, 42. Ego Bentleio assentior, qui spurium putat versum Manilianum. [2]) Quid enim, si quis statuat margini codicis aliquam notam ascriptam fuisse, quam postea in textum scribae receperint? Fortasse aliquis lecturos ad Homeri clarissimam de Priamo Hectora solvente narrationem adducturus tale aliquid adnotavit: Hectoreumque corpus facit solventem, scil. Homerus Priamum solven-

1) Hoc epitheton Musis saepe attribuitur cf. Knickenberg de deorum invocationibus quas in componendis carminibus poetae Romani frequentant. Marburgi 1889 p. 22.

2) Sed dubito, num fausta Minerva Bentleius Man. II 3 confictum esse ex Man. I 766 suspicatus sit, quia ne de hoc quidem versu quid debeam censere scio.

tem facit; nam alterum versum cum Pingreo de Priamo interpretor, non de Agamemnone cum Stoebero et Webero (l. l. p. 610). At si reiecta Heimsoethiana illa panacea recte restitutum putes sive *Hectoreamque facem* sive *Hectoreasque facis,* tamen non cogimur opinari Manilio, cum hunc versum scriberet, Ovidii verba ante oculos versata esse, quae in epistula modo allata leguntur, namque iam in Met. XIII 7 non multo aliter scriptum videmus: *At non Hectoreis dubitavit cedere flammis.*

Ac ne ex tertio quidem astronomicon libro manifeste apparet ex iis epistulis, quae in Ponti ora in lucem venerunt, in Manilii haustus decurrisse liquorem. Neque, ut recte intellexit Cramer, ille III 1 (*maioraque viribus ausum*) ex Fast. II 123 (*maioraque viribus urgent*) petivit, sed fortasse ex Verg. Aen. X 811 (*maioraque viribus ausum*), cui proprius cum accedere quis est qui infitias eat? Man. III 66 (*traheretur in unum*) propterea Fast. IV 97 (*contraxit in unum*) imitationem esse negaverim, quia vulgaris haec est sententia *in unum contrahere,* quam vel historici, Sallustium et Livium dico, antea scripserunt. Epithetorum autem et in tertio astronomicon libro et apud Ovidium occurrentium quae ex hoc tracta sint dubium est, sed fieri potest, ut *cancrum litoreum* (Man. III 316. Met. X 127. XV 369) et *draconem vigilem* (Man. III 11; *dr. pervigil* Ov. her. 6, 13; 12, 101. Met. VII 149) Ovidii memor scripserit Manilius; *tempora* vero *labentia* (Man. III 470. Trist. III 3, 11; cf. Met. XV 179 et Fast. VI 771 *tempora labuntur*) utrum Ovidium legenti adeo placuerint, ut memoria teneret, an ipse finxerit, quis hoc tamquam de tripode velit respondere? Sed concedamus imitationem: novit igitur Manilius, quo tempore tertio libro contexendo operam navavit, Tristium tertium librum.

Sed cum in his tribus astronomicon libris epistularum, quas ex exsilio Romam misit Ovidius, imitationes non deprehenderimus, in quarto libro inesse videtur, quod ex illarum memoria natum sit. De versu quidem IV 60 alius aliter forsitan iudicet *(toto spectante senatu),* per quem versum Manilium Ovidii [1]) debi-

1) Ep. ex P. IV 4, 41 toto comitante senatu.

torem factum esse etsi haud scio an nimis sagacis nasus sit qui dicet, tamen concedere in animo est forti hanc congruentiam non attribuendam esse. Nec facile, utrum *Scythicus arcus*[1]) illi debeatur necne, quisquam discernat, quoniam una cum Scytharum nomine unicuique arcus, sagittae, pharetrae eodem tempore in mentem veniebant (cf. Herod. VII 64 τόξα ἐπιχώρια); sed tamen negare nolo aliqua ex parte *arcum Scythicum* sapere Ovidium. Vel vv. 906 sq. et 915 sq., ut voluit Freier,[2]) in similitudinem Ep. II 8, 57 sq. cedere largiamur; quid tum? Virorum doctorum disquisitionibus probatum est alterum epistularum librum a. 13 Romam missum esse. Idem cadit (cf. Cramer p. 4 n. 1) in carmen ex Ponto IV 4: Romae autem post ipsum adventum epistulas innotuisse quoniam probabilissimum est, qui quartum Manilii librum sub finem a. p. Chr. n. 13 ortum esse dicit, ei imitationum Ovidianarum obstat nulla. Ante a. 12 vel 13 vel ideo editus esse non potest, quod IV 764 Tiberius *recturus* dicitur: hic a. 12 demum in Augusti gratiam rediit (cf. Suet. Tib. 20; Woltjer l. l. p. 23).

Ut autem in quarto, ita in quinto libro similitudines quaedam Ponticarum epistularum inveniuntur, quas gravioris ponderis esse ducamus, quam ut Manilium illas cognitas habuisse negemus; imprimis adsonant

M. V 295 . . . *dabit et iaculum torquere lacertis.*
Ep. ex P. II 9, 57 *Atque ut es excusso iaculum torquere lacerto.*

Hoc vero in illarum priores tantum duos libros cadit, quos iam a. 13 in urbe Manilius legere potuit, ut etiam hunc librum sub finem Augusti imperii ortum esse si statuemus, certis, quae ad epistulas Ponticas spectant, imitationibus non refellamur.[3]) Ger-

---

[1]) Man. IV 755 Euxinus Scythicos pontus sinuatus in arcus; Scythicus arcus Ep. ex P. I 1, 79 eodem versus loco. Conferendus autem cum Maniliano loco est Ov. Met. XIV 51, qui versus (Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus) similis est.

[2]) p. 62 et 63.

[3]) praeterire hoc loco nolo V 546 (hic hymenaeus erat), ad quem apposuit Cramer Ovidianum illud (Met. VI 429) Non hymenaeus adest. Cuius num Manilius memor fuerit, dubitabile est, non quod Ungerum de hoc loco verum vidisse putem, sed quia iam Verg. Aen. IV 127 exstat: hic hymenaeus erit, quo spectato suum versum

manicus suo Arateorum prooemio Manilii exordium videtur imitatus esse. Praeterea non nisi rarissimae locutionum similitudines inveniuntur; cf. Cramer p. 58. De Fastis vero quid iudicandum esset, non mihi contigit, ut satis enuclearem. Rectissime vehementer dubitasse Cramerum iudicans, num in v. V 176 *(Te, Meleagre, colunt flammis habitantibus* [corr. Bentl. *absentibus] ustum)* agnoscenda esset, ego neutrum locum neque Fastorum (V 305 *Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit*) neque Ibidis (599 *Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit*) Manilium ante oculos habuisse, sed suum versum scribere potuisse contendo eius narrationis recordatum, quam Met. VIII legerat, imprimis v. 515: *Inscius atque absens flamma Meleagros in illa Uritur;* cuius partis in memoriam etiam illud *munera* (V 177; cf. Met. VIII 502) scripsisse poeta videtur, quod falso removeri in eiusque locum *mutua* substitui sunt qui velint. Tam similes autem, ut paene e Fastis deducti videantur esse, sunt versus hi:

Man. V 224 *Corda micant et lingua rabit*
Fast. III 331 *Corda micant regis*
Man. V 253 *Cura Ariadneae quondam monumenta coronae.*
Fast. III 513 *Sintque tuae tecum faciam monumenta coronae.*
Man. V 333 *Ille dabit cantus inter convivia dulces*
Fast. II 767 *Iam dederat cantus lucis praenuntius ales*

---

noster potuit condere. Unger autem in traditis verbis Manilianis mendum haerere ratus (in philologo a. 1888 p. 80) iussit sic scribi:

Hic Hammon superat: solata en publica damna
Privatis lacrimis ornatur victima poenae.

Quae coniectura num satis certis causis fulta constet, quaeri potest. Illud quidem quod una nec dissentienti omnium librorum manuscriptorum voce versus 546 initium, quale vulgo circumfertur, defendi potest, non nimis magni aestimem haud ignarus, quam multis gravibusque vitiis illi affecti sint. Neque nego, etsi universe auctore non adiecto a poeta dictum est proposita est merces, potuisse tamen oraculum Ammonis non inepte commemorari, sicut apud Ovidium Met. IV 671; V 17; sed illud hic minus duco commodum et aptius forsitan exspectes Iamque, quod a traditarum litterarum ductu longius recedit. Verum qua tandem Ungeri emendatio commendetur necessitate, videndum erit. Non opportunam esse hymenaei mentionem iste arbitratur nec non repugnantem et versibus V 545 sq. et V 579 sq. Quod ita non est. Etenim ironice quasi

In tertio quoque libro exstat versus finis, qui miram quandam similitudinem Fastorum habeat:

Man. III 22 *Non regis Magni spatio maiore canenda.*
Fast. VI 585 *Tertia causa mihi spatio maiore canenda est.*

Minus similes sunt

Man. IV 773 *Hesperiam sua libra tenet*
et Fast. I 498 *nave secat fluctus Hesperiamque tenet.*

In his locis, quos prae iis, quorum ex prioribus Ovidii libris Manilius potitus est, paucissimos esse concedes, si imitatio agnoscenda est, retractatam Fastorum editionem Manilio ante oculos fuisse non concludam, sed fortasse Fastos nondum editos, quos iam Romae scripserat (Trist. II 549 sq.) Ovidius, evol-

dicta censeam illa verba hic hymenaeus erat; nempe Phineo Andromeda iamiam sponsa fuit, quo utebatur patruo: manet igitur eam hymenaeus; sed subito oraculum illud perniciosissimum editur atque hymenaei vice morti proponitur Andromeda. Itaque eo gravius est malum, quod innupta peritura est (v. 553 et cruce virginea etc.; 549 virginis funus). Atque illud quoque mihi attendas puellam, priusquam scopulis affigatur, pulcherrima veste exornari (cf. v. 557, 558), quali decorari solebant virgines ante nuptias (cf. νυμφοστολεῖν Strabon. VI 8, p. 259 e). Hinc autem est, ni fallor, quod Abantiadae (Met. IV 679), ubi primum eam conspicatus est, non istis, quibus vinctam cernit, catenis digna videtur, sed quibus inter se cupidi iungantur amantes. Quid igitur? Pro hymenaeo puellae innubae, id quod non semel poeta urgere videtur velle, mors parabatur atrocissima: attamen aliter res evenit atque omnes exspectaverant. Ecce enim revera praecutit taedas Hymenaeus, cum — sortem sane vere tragicam — bellua interfecta catenisque resoluta virgine Perseus gener salutetur ac thalamos intret (v. 576). Namque ut in matrimonium daretur virgo, antequam periculum subiret, sibi pactus erat, cf. v. 579, 615 sq.; Ov. Met. IV 703. V 28. Postremo si ne Vergilii quidem et Ovidii simillimos locos neglexeris, nequaquam necessarium esse, quod Unger fabricatus est, facile apparebit. Alteram versus 546 partem et insequentia verba apertissime corrupta, quoniam ipse probabilem medelam non repperi, eruditioribus relinquo corrigenda. Sed de libri V v. 579 fine liceat proferre suspicionem. Traditum enim est pactusque maritum; errat Weber l. l. p. 643, cum dicit „in aliis codd. pactusque hymenaeum". Hanc esse sat antiquam coniecturam mihi scripsit Bechert. Duplex autem, ni quid me effugit, adhuc oblata est interpretatio. Scaliger, qui suum explicandi modum exemplis non comprobavit, figurate poetam maritum posuisse ratus est pro coniugio. Hic ea fortasse mente rem comprehenderit, ut ad maritum putaret supplendum esse foedus, quam lectionem invenimus in Ov. Ep. ex P. III 1, 73. Weber (l. l.) et Iacobus (in indice p. 212) intellegunt se maritum pactus. Quae ratio pronominis reflexivi omittendi num satis muniri posset nesciens et magnopere dubitans in eam forte incidi opinionem, ut una litterula mutata scribendum esse putarem pactusque maritam, velut apud Livium historicum legitur ex qua domo pactus erat (scil. feminam). Facile scribentis error explicatur, si per siglam terminatio scripta fuit. — Man. V 542 idem Unger (in philologo a. 1890 t. XLIX p. 31) emendat nare Africa tellus, quae coniectura imprimis propter metricas rationes mihi displicet.

vendi occasio data erat. Talia non inaudita fuisse mihi credes Propertium tibi afferenti, qui, cum in c. III 32 ad Aeneidem alluderet, ipsius Vergilii schedas inspexisse putandus est.

Haec omnia si consideramus, quandoquidem a. 10 poetam initium edendi facere potuisse concessimus, unum fere quoque anno librum composuisse totumque opus usque ad Augusti annum emortualem paene confecisse videtur; fieri autem potest, ut in quinto libro faciendo occupatus huius mortem superaverit.[1])

Ne quid omittam, restat mihi, ut de coniectura a Cartault nuperrime prolata breviter admoneam, in quam facillime incidere aliquis potuit, qui Augusti temporibus priores Manilii libros vindicat nec tamen omnes locos supra tactos in hunc vivum imperatorem quadrare putat.[2]) Concedit igitur ille sub Augusto tres libros, ceteros sub Tiberio compositos sub eodem-

[1]) Woltjer, qui nullo certo vestigio ad Tiberium nos duci concessit, Manilium carmen suum Augusto mortuo nondum ad finem duxisse ex illis versibus conicere licere dixit, quibus prooemio finem imposuit (I 114) faveat magno fortuna labori etc. „Haec enim", inquit, „verba sensu carerent, si poeta speravisset fore, ut intra spatium quinque annorum opus conficere posset". Praeclarissime haec quidem Woltjer, quasi Manilius a. 10 vel sciverit vel praeviderit Augustum intra quinque annos naturae debitum redditurum esse! Praeterea illud temporis spatium num multo maius fiet, si quis cum ipso Woltjero quattuor libros Augusto regnante, quintum postea confectum esse statuet? Aliquam esse difficultatem non nego; sed hoc liquet minorem eam non fore, si Freieri de astronomicon aetate sententiae adstipulaberis. Et quid tandem impedit, ne credamus poetam, postquam in materias suas magis in dies sese insinuavit artisque versuum pangendorum peritior factus est, paullo celerius scripsisse quam antea posset sperare? Qua in re respiciendum est, quando poeta scribere coeperit, nesciri; nos nihil supra enodare potuimus nisi terminos, post quos singuli libri confecti editique esse possint.

[2]) Simile iudicium iam Woltjer p. 22 tulit.

que totum opus editum esse. Quamobrem poetae nonnulla mutanda fuisse, quae in Augusti honorem laudemque antea fecisset. At quod Cartault omissis argumentis protulit quoniam nihil est nisi ingenii opinio coniectando nata, quae nulla re comprobari videatur, vi sua carere facile est ad intellegendum. Nulla ratione in eis partibus, ubi de imperatore verba fiunt, mutationem factam esse probatur easque omnes suam eamque planam habere explicationem mihi videor supra evicisse. Nec minus a probabilitatis specie recedere censeo, quod Cartault coniecit de totius operis editione: quae, quoniam nullibi quidquam traditum est nec ex ipsis astronomicis elucet, prorsus ignoratur; sed tamen cum suum cuique libro prooemium longum atque verborum non copia minus quam gravitate iucundissimum praemissum sit, separatim singulorum librorum editionem paratam esse forsan a verisimilitudine non abhorreat; quam in sententiam Ovidianis quoque imitationibus trahi nobis videmur. Quod Iacobus, cui assentitur Teuffelius (IV edit.), postremi libri exordium aliquid spirare ait, quod intermissum aliquamdiu studium testetur (praef. p. XVI), haud suum me fecit, quoniam ad hanc opinionem nulla re mihi videtur adductus esse nisi quod per v. V 500 sq., utpote quos de Pompei theatro incenso annoque p. Chr. n. 12 instaurari coepto interpretaretur, argumentum se nactum esse opinabatur, quo sub Tiberio astronomica finita esse pateret (progr. Lubec. 1836 p. 13 et 14). Mihi ipsa ea, unde incipit hic liber, artissimam cum antecedentibus coniunctionem prodere videntur: huc spectat particula *hic,* huc spectant etiam verba: *Me properare viam mundus iubet (mundi lubet* Thomas l. l. p. 7). Sed de istiusmodi re alii forsitan sentiant alia. Si vero hac argumentatione eius quam dixi opinionis necessitatem nemini imponi fieri non potest quin confitear, ideo non communem totius operis editionem Manilius comparasse putandus est, quam esse factam nulla iusta causa, sed mera coniectura sumitur. Quin immo Pingreus (introduction p. VIII) putat in poetae scriniis libros latitasse neque umquam ab ipso, ut in publicam lucem prodirent, effectum esse. Ut autem eis, qui ultimam manum ad astronomica accessisse negant, assentiar, vel ea re

mihi persuadetur, quod plane aliter atque exspectes, finiuntur atque exordium carmini dumtaxat didactico aptum omnino deest, quod non inique a nostro postulabimus, qui tam largus est in prooemiis condendis. Neque convincor infirmissimis vel potius nullis istis causis, quibus uti solent, qui eo spectant, ut postremam astronomicon partem postea amissam esse probabile reddant. Sextum enim quoque librum a poeta conditum usque ad Firmicum Maternum aetatem tulisse, qui in suum opus nonnulla inde receperit. Quippe qui in hac re iudicium facere volet, ab eo dignum erit quod respiciatur inaequaliter fluere Manilii orationem multosque locos non solum obscuritate, sed etiam asperitate quadam laborare ac ne deesse quidem, in quos discrepantiam videmus collatam. Sed retractatum collectumque opus si noster edidisset, multis sane salebris remotis politius ac limatius ad nos perventurum fuisse habeo persuasissimum. Etenim repugnantias tollere et emendare eisque locis, quibus nunc nihil nisi sententiarum seriem enarratam videmus (cf. Lanson p. 39 sq. c. II 3), [1]) addere ei licuisset, quas ipse eligendas, quas reiciendas putaret. Denique illam semper mihi arrisisse opinionem commemorarim, poetam, quominus quod coeperat ad finem perduceret, nulla re nisi morte impeditum

[1]) Ceterum quod negari posse negaverat Martinus Opitius (Buch von der deutschen Poeterei c. III ed. Braune Halle 1878) bonum astronomum fuisse Manilium, id nunc plerisque videtur negandum. Quin immo merum et sincerum oratorem eum esse probare conatur Lanson, qua in re iusto fortasse longius processit; neque quod poesis eius rhetorica arte nititur, mirum esse potest, quoniam non unum, antequam poesin profiteretur, oratorem gessisse compertum habemus. Quod idem philosophiae plus quam astrologica et poetica ars requireret studuisse Manilium infitiatur, haud scio an a recta ratione deflexerit. Nam permulti sane loci adeo stoice sonant, ut huius disciplinae placita accuratius novisse videatur, atque vel maximam cum Stoicis affinitatem intercedere studet demonstrare Woltjer p. 70 sq. Sed quomodo fata libertatem sapientis non opprimerent, quod hoc non exposuit, id non eius propriae, sed communi omnium Stoicorum culpae tribui potest. Ut omnino in illorum de fato doctrina (cf. Otto Heine Stoicorum de fato doctrina. Numburgi 1859) et in eis, quae de libero hominum animorum motu disputabant, magnae difficultates haerebant, quas prorsus superare vix possent, ita ne Manilius quidem disceptare temptavit, quid esset fortuitum, quid ex astris, quid e voluntate penderet.

esse, quia, quo tempore de astris canere coepit, non admodum iuvenem fuisse statuens verisimilitudine non destitutus videtur Lanson (p. 27), si quidem ex eo, quod I 114 sq. optavit, sani quid concludi tibi videbitur audienti ipsius desiderium expressum hisce:

Faveat magno Fortuna labori,
Annosa et molli contingat vita senecta,
Ut possim rerum tantas emergere (Bentl. *evincere*) *moles*
Magnaque cum parvis simili percurrere cura.

Fortasse igitur paullo postquam Augustus, a quo animos sese ad tanta canenda accepisse profitetur, diem supremum obierat, ipse morti iam senescentibus viribus vicinus atque carens tunc maxime fautoris gratia vitam posuisse Manilius non iniuria putetur, sicut Horatius Maecenati non diu superstes fuit, sed statim decedendo excessum eius subsecutus est, qui vires canendi et foverat et auxerat.

Appendix
de Manilii patria.

Per postrema mea verba iam ad coniectandum descendi. Etenim praeter tempus, quo fere singuli libri conscripti esse possunt, nihil de Manilio explorare possumus. Vita eius prorsus nobis ignota est, quoniam id ei accidit, ut a nullo antiquo scriptore citatus sit neque quisquam de eo nobis quidquam tradiderit. Atque ut ipsum nomen incertum esse praeter Woltjerum nemo negat, ita ne de patria quidem, quod ultra dubitationem positum sit, quidquam prolatum esse intellego. Neque Romanum neque Italicum, sed peregrinum natione illum fuisse plerisque nunc verisimile videtur. Huic rei argumento esse, quod non pauca habeat Manilius, quae et ab illius aetatis et totius latinitatis consuetudine abhorreant. Ob eam rem Iacobo primum ex Africa ortus esse visus est, postea Bentleio is sese adiunxit Asianum esse poetam iudicanti. Merkelius vero in prolusione ad Ovidii Ibim frnstra in probabilitatis speciem redigere studuit eum, in quem Ovidius inveheretur, esse astronomicon scriptorem; quis enim fuerit ille Ibis non potest explorari, cf. Otto Ribbeck Gesch. d. röm. Dichtung II p. 327 Stuttgart 1889.

Aliquantulum denique operae etiam Lanson perdidit neque multum causas ab eo (p. 5—7) enuntiatas valere pervideo. Primum igitur verum non intellexit declarare conatus, cur memoratis Graeciae scriptoribus Romanos secundo in libro omnino praetermisisset, in tertio vix obiter ac tamquam praeteriens Manilius tetigisset. Cuius rei explicamenti aliquid sic attulisse sibi videtur, ut diceret, quia in Graio orbe natus ideoque si non in Graecia, in Asia certe Graiis moribus ac disciplinis imbutus ibique educatus fuisset, viguisse in memoria eius Graecarum litterarum exempla, et praesentia semper ac vivida ultro exundasse, Romanas vero litteras tardiore cura et maiore labore haustas non nisi meditanti adfuisse neque ipsas non attendentem sollicitasse. Quae haud sciam an ne opus quidem sit refellere. Neque enim quemquam praeter Lansonem persuasum habeo negaturum esse Romanorum quoque monumenta praesentia usque fuisse Manilio, si modo secum reputaverit illum in ipsa dictione Romanarum litterarum doctrinam ostentare cupisse ac praecipuam quandam operam priorum poetarum exemplis tribuisse. Quidquid enim illi elocutionum atque apparatus mythologici effinxerant, id in suum usum eum imitando detorsisse ex eis, quae Cramer patefecit, apparet dilucide. Quin etiam quantopere Latinas litteras mente comprehenderit, ex eo luculenter intellegas, quod et prosodiacam et metricam rationem adeo non male tractavit, ut contra in arida rerum asperitate mirus fere, ut ita dicam, versuum artifex exsisteret, cf. L. Mueller d. r. m.; Birt ad hist. hex. Lat. symb.; Cramer l. l.; Philol. XV p. 481. 492. Neque annalium Romanorum imperitum se praebet: noverat huius populi bella, pugnas victoriasque, noverat viros illos fortes beneque de republica meritos.

De quibus hic illic, ubicumque res ferebat atque occasio, exornandae orationis causa libris suis abunde notitias admiscere nequaquam potuit, si hospes ac peregrinus in historia Romanorum fuisset atque poetas primoribus modo labris gustavisset.

Quaerenti autem, quid tandem fuerit causae, cur transiret Romanos poetas Manilius, consilio poetae illud, non ignorantiae videtur tribuendum. Audias sic loquentem (I 49 sq):

> O m n e genus rerum doctae cecinere sorores;
> O m n i s ad accessus Heliconis semita trita est,
> Et iam confusi manant de fontibus amnes,
> Nec capiunt haustum turbamque ad nota ruentem.

Quae cum dicit, non solum a Graecis, verum a Romanis quoque poetis tritas et absumptas omnes copias esse intellegi velit necesse est. Nam si Graecos solos respexisset, nil sane eum impediret, quominus eas res, quas ab illis tractatas sciret, Romanis quoque proponeret versibus vinctas. At sic nostri verba interpretanda contendo, ut dicat se non s i c u t c e t e r o s R o m a n o r u m p o e t a s res illas iam e Graeca poesi notas retractare velle, sed novam eligere materiam, quam Graeci nondum sibi tractandam sumpserint. Atque facile quidem Romanos, etsi non nominantur, ex argumentis commemoratis subaudimus; quod ne neglegamus ab ipso paene poeta admoneri videmur, cum locutus de Homero haec addit:

> cuiusque ex ore profusos
> O m n i s posteritas latices in carmina duxit
> Amnemque in tenues ausa est deducere rivos
> Unius fecunda bonis.

O m n e m igitur, non Graecam tantummodo posteritatem ex illo quasi e communi fonte hausisse dicit. Ac sui cuique Romanorum haec legenti Vergilii in mentem venire debuit, sicut insequentes de Hesiodo versus Vergilii Georgica in animos revocant eosque poetas, qui de rerum origine scripserunt, ut Lucretius atque etiam Ovidius. Adde quod q u i d a m illi, q u i a s t r o r u m v a r i a s f i g u r a s d i x e r e (v. 25) non Graeci soli debent esse, quoniam Cicero Arati phaenomena vertit et Ovidius quoque composuit phaenomena, eaeque fabulae, quas hoc loco poeta commemorat, in Metamorphosibus inveniuntur. Iam versu 4 et sequentibus ad Aemilium Macrum, qui ut ornithologiam, ita theriaca confecit et de herbis scripsit, ac Grattium Faliscum, Cynegeticon auctorem, aliosque alludere videri potest. Qua in re pluris interest, qualia argumenta quam quae poetarum nomina laudet. Itaque Romanos nominatim non allatos esse a Manilio crediderim non qui nonnisi meditanti adfuerint, sed de industria tecte eos significat, quasi nihil nisi imitati sint et exscripserint Graecorum poetas: qua quidem re laudis eorum aliquid quodammodo concerpere videtur in animo habere, quo maiorem ipse in gloriam veniat, qui Pieridum fontes extendere conetur, ut ait ipse in tertii libri initio, ubi rursus non tam nomina poetarum, quam res et argumenta commemorata videmus: quod iterum in memoriam revoces velim. Itaque ex his locis, de quibus modo disseruimus, nihil nobis

fructus consequi licet, quod ad eam quaestionem persolvendam aptum sit, utrum Asiaticus an Afer fuerit astronomicon poeta.

Neque magis quae de Asia et Africa ille dixit, ullo pondere puto esse. Sed ut Africanum poetam fuisse concedas, quomodo a m o r p a t r i a e (cf. Lansonis diss. p. 9!!), ne vera, quae IV 662 sq. scripta videmus, de ea diceret, impedire potuerit, vix valebis intellegere, praesertim si a Manilio ipso Romam duci patriam animo reputaris: gentis Romanae nimirum admiratione valde captus est et maiorem spiritum videtur sumere, quotiescumque de fortibus viris, qui illinc prodiere, eorumque facinoribus versus pangit. Certe non magis cum de Asia quam cum de rebus a Romanis gestis loquitur, oratio fervet verbisque grandibus erumpit admiratio. Gloriatur paene, credo, nomine Romano et tamquam ac si civis Romanus sit, se gerit cum dicit IV 41 Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis (quo in versu s p e c t a t u m nihil nisi mala coniectura videtur esse, cf. Stoeberi notam), II 888 censum sic proxima Graiae Nostra subit linguae, III 40 sq. et signa externa referentur nomina lingua etc., IV 776 hanc condidit urbem (sed de hoc loco variae sunt interpretum sententiae, quia dubia est vera lectio); omitto v. I 790, quia falsam esse puto Bentleii coniecturam n e f a n d i. Quin etiam Broeckelius l. l. ex IV 41 et 776, siquidem non spurii sint, elucere vult, astronomicon auctorem Romanum fuisse ac Romae scripsisse, atque etiam Woltjer illos versus testari dicit poetam Romanum aut certe Italum fuisse (p. 26). Quod cum ita se ferat Manilius, illa, quae de Africa in astronomicis exstant, eidem, etiamsi Afer fuisset genere, scribere licuit.

Etenim hoc erat vulgi de Africa dictum, atque omnium fere Romanorum scriptorum de illa terra eadem est vox. Cuncti, quotiescumque de ea narrant, horrore quodam percutiuntur, terribilis eis est monstrorum parens atque horrida desertaque regio nec non inhospita, abundans anguibus et arenis et procellis furibundis. Vel in proverbium tracti erant angues Mauri et venti Africae. Cf. de Africa: Varr. sat. Menip. 225; Varro L. L. VII 40 (Africae, scil. bestiae!); Sall. Iug. 17; Hor. c. I 1, 15; 3, 12; 14, 5. III 23, 5; 29, 57; Prop. V 3, 47; Verg. Gg. II 105; Aen. I 384 IV 40; Ov. Met. II 239. XIV 83. IV 6, 17 sq.; multisque aliis locis, quos enumerare longum est, similia invenies. At vero pro aurifodina tamquam et aurificina plerisque fuit Asiae florentis terra (Met. XIII 484), ubi Troianorum olim potentissima regna floruerant, ubi regnaverat Croesus hominum ditissimus omnium, ubi auriferi Persae (*χρυσοφόροι Μῆδοι* cf. Simonid. Cei carm. rel. ed. F. G. Schneidewin Brunsvigae 1835 p. 145) sedes habebant, ubi Caystri erant prata fertilissima (Verg. Gg. I 383. Hom. Il. II 461 *Ἄσιος λειμών*, Arr. V 6, 4 *Καΰστρου πεδίον*), ubi denique flumina et erant et praedicabantur auriflua (Man. IV 672. Eurip. Bacch. 15 et 16), unde et in proverbium cesserat Lydius ille aurifer amnis Pactolus, ut vel Chrysorrhoas audiret atque Horatius proverbialem ederet versum: T i b i q u e P a c t o l u s f l u a t, cf. Prop. Monob. 14, 11 (Herod. V 101. Schol. Arist. Plut. 287. Verg. Aen. X 142; Tib. III 3, 29; Plin. V 110; Solin. XL 11; Hygini fab. 191 et 192; Hor. Epod,

XV 20). Quam opulentam omnes Asiam duxerint, huius rei etiam ex aliis Horatii locis documentum capias, qui Phrygiam c. II 12, 22 totiusque Asiae campos Epist. I 3, 5 pingues appellat (cf. etiam Epist. I 1, 11 sq. et Cic. d. imp. Cn. Pomp. 6, 14. Iustin. 38, 7, 6; Cat. 46, 4) vel ex Tibulli elegiis, ubi Assyria pinguis dicitur III 2, 24 vel ex Propertio (I 6, 14), apud quem Asiae divitias legas (cf. Ov. Fast. VI 420 opes Asiae; Hor. Sat. I 7, 19 ditem Asiam); neque aliter Indos idem dites dicit (IV 3, 1) sicut divitem Indiam Horatius (c. III 24, 2). Ideo cum Asiae census in proverbii consuetudinem venisse videas, non Manilius solus, sed omnes fere scriptores, apprime poetae, oblata occasione de hac mundi parte plura eaque laetiora narrant quam de Africa, praesertim quod etiam clarissimae de Asia fabulae ferebantur, atque tum temporis imprimis in Graeciam atque Asiam peregrinationes suscipiebant Romani. Sed quorsus tam multa de hac re? Necesse esse putabam haec apponi, quia Lanson his Asianam Manilii originem probari ratus est. Quae de Asia proferuntur, unusquisque profecto Romanus homo illa aetate scire poterat, qua persaepe multa et longa itinera fiebant. Satis igitur intellectum arbitror Lansonis argumentandi ratione illi opinioni, qua ex Asia oriundus Manilius putetur, maiorem fidem non accedere.

Atque in eo quidem nunc omnes conveniunt, in sermone nihil inesse, unde Afrum fuisse eum iure colligatur, et Graecorum quoque studiorum vestigia, si Bernhardyo et Cramero (l. l. p. 6; praeterea cf. A. Cramer der Infinitiv bei Manilius. Comm. in hon. G. Studemund. Argentorati 1889 p. 61—65, quem libellum ipse non inspexi, sed cognovi per K. Rossberg Berl. phil. Wochenschrift 1890 Nr. 10 p. 311 sq.) credimus, qui dissentiunt a Teuffelii (in quinta editione Schwabeus Cramerum videtur sequi) et Iebbii (l. l. p. 139) iudiciis, non nisi rarissima et paucissima inveniuntur, ut num recte poetam, de quo loquimur, peregrinum fuisse hominibus eruditis suspicio orta sit, incertior quam quondam haeream.

Hoc mihi constat poetam nulla re ipsum indicare se non esse Romanum aut Italum. Quid igitur, si quis, etsi non in urbe Romana, at in Italia certe eum natum, sed a teneris unguiculis rustico cuidam sermoni adeo assuetum fuisse proponat, ut, cum de argumento difficultatibus abundante scribere coepisset, purum ac sincerum vernaculae urbanitatis colorem quamvis nitenti non usquequaque assequi contingeret, etiamsi antea in rhetorum ludos itasset. Hoc modo quae propria habent huius libri a reliquaque Augusti aetatis poesi aliena, haud scio an satis superque ea explicentur, praesertim cum et Cramer (p. 36) et Woltjer (p. 30 sq.) non tantum esse eorum numerum probaverint, quantus vulgo putetur. Nec tamen in re tam lubrica pro certo quidquam affirmare ausim, atque verito imprimis cum Bentleio, qua sum tanti ingenii reverentia, in certamen descendere, sufficiet mihi, si quae Lanson dixit, nullo modo in argumentorum locum recipi posse probavero. Hoc quoque concedendum erit Romae scribenti Manilio optime occasionem offerri potuisse eos libros

cognoscendi, quos Tomis Ovidius misit. Valde autem dolemus, quod iudicium de hac tam gravi re nondum subactum est, namque si extra Italiae fines Manilium natum nec satis linguae Latinae peritum fuisse putabimus, numquam constitui poterit, quid sibi sumpserit, quid reliquerit audendum, ac si qui ea, quae codicibus praebentur, prava et vitiosa esse rati emendaturi sunt, semper eis, ne genuina corrigant, timendum erit. Iacobus autem in hoc scriptore, qui apud exteros natus quidvis auderet, id quoque ferendum iudicans quibus in emendando hoc carmine fundamentis niti posset, id mihi quidem non contigit, ut intellegerem.

In fine eis, qui Manilianis studiis vacant, indicare liceat hoc ipso tempore Thomam eum, quem non semel citavi, edidisse deux corrections au texte de Manilius in Revue de l'instruction publique en Belgique XXXII (6 p. 374—375), ad quam aditum mihi adhuc nequivi parare.

INDEX.

1. De imitationibus Ovidianis, quae ad astronomicon tempus definiendum valeant . . . . p. 8. 55—63
2. De Manilii locis ad hanc rem pertinentibus:
I 7 sq. . . . . „ 13. 14
„ 40 sq. . . . . „ 21
„ 115 . . . . „ 21. 22. 65—66
„ 384 . . . . „ 32
„ 798 . . . . „ 33—37
„ 898 . . . . „ 10—12
„ 922 . . . . „ 10. 20
„ 925 . . . . „ 25—31
II 507 . . . . „ 13. 49
IV 764 . . . . „ 23—25
„ 776 . . . . „ 23
„ 934. 935 . . . . „ 22
V 513 . . . . „ 54. 55
3. Conclusio: libros I - III ante Epistulas ex Ponto scriptos, libros IV et V brevi secutos esse . . „ 55—62
4. Annotationes interpositae
a. de Manilii patria . . . . „ 67—71
b. de Manilio Germanici comite . . . . . . „ 18. 19
c. de Man. V 542 et 546 contra Ungerum disputatur . . . . „ 60 sq.
d. de Man. V 579 proponitur coniectura . . . „ 62
5. Immissus de imperatoribus Romanis astrorum instar cultis tractatus . . . . „ 37—53.

VITA.

Natus sum Augustus Kraemer, fidei addictus catholicae, a. h. s. 66 m. Iunii die altero Wilinaburgi, in urbe Nassoviae, patre Georgio operario, matre Maria e gente Goldbeck, cui praematura morte abreptae successit Elisabetha e gente Hubert. Puerum ludo publico primis elementis imbutum in Matzatii scholam pater misit: unde eo instructus testimonio, quod per unum annum stipendia merituris opus est, cum vere a. h. s. 81 abissem, autumno in gymnasii Wilinaburgiensis alteram classem receptus sum, postquam per aestatem cum Latinam tum Graecam linguam duo vv. dd. summaque mihi venerandi pietate me docuerunt, et pastor optimus † Iacobus Stein et Hugo Ottmann, phil. Dr., quibus iam antea usus eram praeceptoribus. Quorum quod hic tantum gratias animo effusas audire potest, summopere doleo; illius, qui ut studiis (eisque theologicis) me dedere constituerem primus movit, quoniam cum maximo meo maerore vita cessit, nil nisi animam avere ac valere possum dicere piam atque candidam. Maturitatis testimonium vere a. h. s. 85 adeptus Argentoratensem petii academiam et apud physicos nomen dedi; sed sex mensibus post Marburgum profectus impetravi, ut inter philologos referrer. Peracto dein anno me contuli Berolinum, unde post bis senos menses Marburgum reversus a. h. s. 89 aestate examen pro fac. doc. et insequente hieme id quod vocant rigorosum prospere superavi annum agens tirocinii in gymnasio Marburgiensi. Docuerunt me viri clarissimi † de Bary, Bergmann, Birt, Caesar, Diels, Dilthey, Iusti, Ad. Kirchhoff, Koch, Kundt, Lenz, Lucae, Ad. Michaelis, Niese, Paulsen, Robert, Schering, Io. Schmidt, L. Schmidt, Ed. Schroeder, Stosch, L. de Sybel, H. de Treitschke, Vahlen, Wigand, Wissowa, Zeller. Horum sive privatissimis exercitationibus sive seminariis me interesse siverunt de Bary, Bergmann, Birt, Diels, L. Schmidt, Robert, Koch Lucae, Schroeder, Stosch, Lenz, Niese. His omnibus ex animi sententia gratias ago. Maximis autem me obstrinxerunt beneficiis cum Diels et Schroeder Berolinenses, tum Marburgienses Niese et Birt, cui una cum parentibus hanc licuit dicare dissertationem.

Typis A. Cramer Wilinaburgi.